






Gordon
De
Conservatione
Vitae
humanae
1570









71316

BERNHARDI DE GORDONIO EXCELLENTISS. MEDICI TRACTATVS

DE CONSERVATIONE VITAE HVmanæ, à die Natiuitatis vsq; ad vltimam horam Mortis,

NVNC PRIMVM IN LVCEM editus opera

D. IOACHIMI BAVDISII Vratisl. Medici Physici Comitatus Glacensis.



Lipsiæ.
CVM PRIVILEGIO CAESAREO.
1570.



ILLVSTRI AC GENEROSO DOMINO DOMINO SEYFRIDO A PROMNITZ, LIBERO Baroni in Sorau, Tribell & Plesſ, &c. Ducatum Saganenſem Hypothecæ Iure tenenti, Sacr. Cæſ. Maieſt. Conſiliario, &c. Domino ſuo clementi,

S. D.

Joachimus Baudiſius Vratislauienſis D.



ON ſolum illud ingens beneficium Dei eſt, quod hominibus inter ſe colloqui eſt conceſſum, vt alter alterum de Deo, atque eius cultu omnibusq; rebus ad vitam gubernandam & conſeruandam neceſſarijs docere poſsit: Sed & hoc admiratione, gratiq; animi memoria digniſsimum, cum ex pœna peccati vita noſtra certis ſit conſtituta metis, neq; ulli, dum hic ſumus, detur perpetua, quod ſermones, facta, atq; ipſæ quoq; cogitationes hominum, in literarũ

monumenta iam inde à primis ſæculis transfundi potuerunt. Ita enim omnes artes per manus traditæ, & ad poſteros propagatæ ſunt, cum & qui alios docebant, anteriorum magiſtrorum haberent ſuæ doctrinæ teſtimonia, & ſi qui viua voce erudiri non poſſent, eorum qui iam diu obmutuerant, præclaras voces, & quæ præterea nobiliſsima illorum mens habebat, adminiculo literarum animo perciperent, repeterentq́ ex iiſdem ſi quando excidiſſent. Ita animus à natura bene inſtitutus, ad magnitudinem moderationémue animi illuſtribus maiorum exemplis, quæ oculis non uiderat, animo ea contemplatus honeſtiſsimo incendio inflammatus eſt: Qui ſagaciores fuerunt, qua via abdita naturæ ſcrutari poſſent uiderunt, inuentisq́, plura addiderunt. Tantum ineſſe boni in literarum diuino munere, patet intellexiſſe ſapientiſsimum Regem Ptolemæum aliosq́ complures, qui ſingulari ſtudio ad conquirendos omnis generis libros lati ſunt, vt diuinitus ad id excitati uiderentur, ne imperitorum hominum incuria tanto bono, futura tempora orbarentur. Exiſtimant idem, qui noſtra ætate in maximis regnis βασιλικὸν κτῆμα librorum ſupellectilem putant, Et qui liberaliſsimo animo nullis opibus parcentes, hoc vnum laborant, vt quam inſtru-

ctiſsimas

ctissimas Bibliothecas habeant. Quanquam autem laudanda est hominum istorum magnorum (mea sententia) singularis animi perspicacitas, quod dignitatem istius rei oculis rectis intuentur, & optimæ antiquitatis omnium rerum in vita magistræ veneratione tantum facere atq; impendere, tantum abest vt recusent, vt etiam voluptati sit, atq; honori sibi quandoq; futurum iudicent. Propius tamen ad eum finem, cuius caussa in genus humanum literarum usus proditus est accedere puto, quibus non seruare studium est, quæ ex antiquitate supersunt, sed vt ij quibus præcipue laborarunt, qui ante nos fuerunt, ijs frui possint, in lucem extra parietes atq; pluteos suos educunt. Nam vt is qui nummis abundat, hoc nominis apud aliquos consequi potest vt opulentus habeatur, inuidiæ vero & sordium crimine carere non potest: Ita qui liberalitate pulcherrima virtute monente, non sibi se soli quod habet habere putat, sed & alijs, neq; animum auro alligat, in ore est omnibus solus dignus iudicatus cui sint diuitiæ, vt qui verum earum usum intelligat. Quod cum ego mecum cogitarem, & haberem inter Bernhardi De GORDONIO libros quos ex Academia Montis Pessuli manuscriptos in Germaniam

mecum aduexi, vnum qui de Conſeruatione uitæ humanæ *inſcribitur, quem ego nondum extare uidi, Et vt ex pluribus cum in Gallijs tum in Germania noſtra, magni nominis medicis accepi, noſtro ſæculo plane eſt incognitus. Non putaui faciendum, vt diutius eum deſiderari à rebus communibus paterer. Vt enim maxime non ſit ex eorum ordine, qui primum artis noſtræ præcepta literis tradiderunt, in præcipuis tamen iure ſuo connumerari poteſt, qui ſuperioribus ſæculis cum in ſitu & ſquallore omnis politior doctrina iaceret, Medicam artem ex obſcuro in lucem omniumq́; oculos ſtudio atq; opera collocarunt. Teſtes ſunt huius rei libri quos de Facienda Medicina non paucos numero edidit, & eos quidem huiuſmodi, vt magno cum fructu in manibus omnium habeantur, ſed in illis id ſolum agitur atq; docetur, qua via atq; ratione, quibusq; medicamentorum viribus, Morbi qui humanum corpus inuaſerunt depellendi ſint, & afflictum robur ad priſtinum vigorem reducatur: Quanto autem ſatius eſt, quod ſemel accepimus, ſartum ac tectum, quod aiunt, ſeruare, atque ita tueri ne ad recuperandum ulla uel moleſtia metuenda ſit, uel etiam recipiendi ſpes plane deponenda: Tanto hic Gordonij commentarius, omnibus*

nibus quos idem atq; alij in Praxi, ut uocant, conscripserunt longe est præferendus. Habetur in belli duce prudentiss. consilium, si hostem in fines suos non admittat, sed quibus potest viribus arceat atq; propulset: Semper enim cum periculo coniunctum uisum est fere etiam ultra quam fieri possit semel admissum eijcere, sic audimus quotidie, non vnius atq; alterius, sed omnium hominum miseras querelas, qui ingruentem morborum vim, qua torquentur, deplorant, nec facile inueniunt quo, ubi volunt, liberentur, Vnicum igitur optimum iudicant, si quid inueniri possit quod valetudinem ne vnquam uacillet integram conseruet. Ea ars quatenus ab humano ingenio sciri potest, demonstrata est in hoc libro, vt nihil quærendum sit amplius, quemadmodum sano alicui esse liceat, eousq; dum se sollicitudine sua Dei voluntate seruare potest. Quin enim Optimus Maximus singulari suo consilio, etiam inopinato morbos immittat plerisq;, aut ad pœnam vt reuocet vagos, aut vt fides ita exercitata reddatur firmior, ex verbo ipsius rem omnem æstimantibus dubium non est. Quamobrem hic liber non solum maxime vtilis futurus est, sed & talis qualis ab omnibus expetitur, tam ijs qui in re medica uersantur, quam qui extra eam alijs

ſtudijs occupati ſuam ſuorumq́; valetudinem in tuto eſſe exoptant. Laudatur quidem ſtudium quod in hanc rem Schola Salernitana quondam contulit, neq; ego egregiam illam operam tantorum virorum quos Schola illa habuit contemnendam puto: Vna hac re potiorem hunc Gordonium exiſtimo quod à prima infantia uſq; ad extremam ſenectutem, ſingulis ætatibus quod ad ſeruandam ſanitatem faceret accuratè præſcripſit. Illud itaq; mihi perſuaſiſſimum eſt, eos qui iſta legent, ſi modo non omni carebunt iudicio, minus in ijs legendis operam ſe luſiſſe putaturos, quam ſi conſarcinatis quorũdam ſciolorum ſcriptis (de doctis nihil loquor) quæ ſcripturiente manu miſeris chartis illiniunt, euoluendis tempus locent. Vt iam taceam de Chymicis nouis, quorum nec impudentia, nec arrogantia habet modum, qui tot ſæculis comprobatam medendi viam inſectantes, neſcio quos carbones cœli fortaſſis ex Phaëtonteo incendio ſomniant, prodigioſo ſermone Pythagoreæ ſapientiæ famam aucupantes, credulis hominibus pernicioſè imponunt. Eam hoc ſæculo deſipientiæ fortunam nacti, vt non deſint etiam magni homines, qui nouarum rerum cupiditate quæ natura ineſt, inſolita & paradoxa iſta magnifaciant & admirentur.

rentur. Sed nos eandem atq; simplicem veritatis orationem esse cogitantes, ταῦτα περὶ ταύτων non respuemus, & qua via maiores nostros prudenter atq; feliciter incessisse uidemus, nihil moti ridiculis commentis quæ nec ipsi autores intelligunt, sedulo ingrediemur. Cum autem sciam Cle. T. præter generis sui splendorem, dignitatem atq; cætera fortunæ munera, quibus abundat, animum bonis literis præclarè excultum habere, ita vt summo Rom. Imperatoris iudicio ad grauissimas Reipub. Christianæ deliberationes accita sit, Eamq; de religione, omnibus Philosophiæ partibus & cæteris disciplinis ita posse iudicare, vt verum à falso, sincerum à fucato facilè discernat. Venit mihi in mentem, Gordonium nostrum, qui nunc animo superstes (quo solo viuax quis esse potest) in hominum oculos, hoc suo opusculo proditurus est, in nullius patrocinio melius citra repræhensionem & cum authoritate quàm in Cle. T. futurum, Itaq; destinandum illi omnino duxi. Accessit huc & illa caussa non leuis, quod cum Cle. T. propter singularem erga bonarum artium studia amorem non exigua benignitate me complectatur, neque ob tenuitatem meam gratiarum aliquid quod æquum sit referre possim, Reliquum quod possum

facere me necesse sit, nempe, vt quoniam Gordonij hic liber, qui nunc qualicunq; mea opella exit vt conijcio in multorum manus venturus est, hoc modo ratas tuas virtutes ita vt merentur, & eximiam in me beneuolentiam omnibus faciam notissimam. Est enim & ista grati animi pars quæ non respuitur, si quis beneficijs affectus beneuolentiam alterius non prætereat, & se obligatum esse libenter fateatur. Bene ualeat Cle. T. Data Glacij Cal. Feb.

Anno

M. D. L X X.

TABVLA CAPITVLORVM DE REGIMINE SANITATIS.

PRIMA ÆTAS.

SECVNDA ÆTAS.

De cibis

DE TERTIA ET VLTIMA AETATE.

Sequi-

SEQVITVR TABVLA QVAESTIONVM DE REGIMINE SANITATIS.

Vtrum

15. Vtrum balneum aquæ feruẽtis competat athletis & pugnatoribus & illis qui nimio & violento exercitio laborauerunt.

16. Vtrum liquefactio carnis & pinguedinis poſsit eſſe cauſſa doloris vlceratiui.

17. Vtrum aliquis poſſet partem conſeruare in regimine ſanitatis ſine errore ita quod eſſet longiſsimę vitæ, & veniret ad vltimum terminum ſenectutis.

18. Ponamus quod aliquis tranſeat noctem inſomnem, & ex hoc & quibuſdam alijs, cibus remanſit indigeſtus circa primas venas, tunc quæritur ſi competat exercitium.

19. Vtrum humor aggregatus in longo tempore poſsit reduci in modico tempore.

20. Vtrum exercitium in humore putrefacto generet febrem.

21. Vtrum cibus malæ qualitatis poſsit ita bene digeri, quod poſsit generari bonus humor.

22. Vtrum Senes debeant regi per contraria vel ſimilia.

Vtrum

23. Vtrum lac competat ſenibus.

24. Vtrum ætas pueritiæ ſit ætas temperata.

25. Vtrum minutiſsime trita prouocent ſeceſſum.

26. Vtrum ſanguine pauco bono exiſtente, humoribus crudis multis competat phlebotomia.

27. Quæ mala complexio ſit magis morboſa, an mala diuerſa in toto corpore, an mala diuerſa in parte.

28. Vtrum venis exiſtentibus ſanguine plenis ſit poſsibilis demacratio, & hæc quæſtio tractatur cap. 24. de corrumpentibus corpus humanum, vbi etiam aliqua de aëre tractat in iſto capite, quod erat aliâs omiſſum cum ſit vnum de principalibus.

DE CONSERVATIONE VITAE HVMANAE, SEV

DE REGIMINE SANITATIS

MAGISTRI BERNHARDI DE GORDONIO.

SECVNDVM INTENTIONEM Ariſtotelis primo Ethic. Vita humana eſt triplex: Vita ſcilicet voluptuoſa, Ciuilis ſeu Politica, & vita Contemplatiua ſeu Speculatiua. In prima autem vita, nulla eſt felicitas, quoniam viuentes ſecundum voluptatem, & perſequutores delectationum ſenſibilium, ſunt, ſicut pecudes, & imò qui ſic viuunt, ſub ſe viuunt. SECVNDA autem vita, eſt vita Ciuilis, & in hanc cadit felicitas. Homo .n. eſt naturaliter animal ciuile, ſociabile & politicum ſecundum Ariſtotelem primo Ethicorum, & ſic acquirit prudentiam & temperantiam, & ſic viuens felix eſt felicitate in quantum politica ſiue ciuili, & qui ſic viuit, ſecundum ſe viuit. TERTIA vita, eſt vita Speculatiua ſeu Contemplatiua, in qua homo viuit ſuper ſe ſpeculando æterna & diuina, & propterea dicit Auguſtinus:

Quando ſuperiora cõtemplamur in hoc mundo non ſumus. Viuit igitur & qui ſic, viuit vita Angelica, ſeu Diuina, quoniam ſuper ſe viuit. Et in hac vita ſeu modo viuendi, habetur felicitas quæ poſsibilis eſt in vita. Hanc autem beatitudinem nemo poteſt acquirere ex ſuis principijs naturalibus, ſi aũt crediderũt & malè philoſophantes primi, quoniã ſupernaturalis eſt, & imo ſine gratia gratum faciente acquiri non poteſt. Qui igitur ſuperiora contemplatur cum gratia gratum faciente, quæ deſurſum homini aduenit, ille felix eſt. Nunc autem ſecundum hunc modum viuendi, Tres ſunt ætates: Eſt enim ætas in qua viuunt homines, vita voluptuoſa, & eſt ætas pueritiæ quæ extendit ſe vſq; ad annos XIIII. uel circiter. SECVNDA ætas eſt in qua viuunt homines vita Ciuili ſeu Politica, & eſt ætas Adoleſcentiæ ſeu Iuuentutis, quæ extendit ſe vſq; ad annos XXXV. uel aliquantulum plus. TERTIA autem ætas eſt, in qua viuunt homines vita Angelica ſeu Diuina, Et eſt ætas ſenectutis uſque ad extremum vitæ. Primum poteſt manifeſtari ſecundum hunc modum, Pueri enim omnino ſunt dediti delicijs, cibis, potibus, ſomno, ludis & iocis, propterea etiam Galenus ultimo Prognoſt. dicit: Quod pueri nullis ex rebus intendunt, niſi ſoli comeſtioni, Hoc eſt, ſolis delectationibus & potiſsime ciborum & potuum: Et Ariſtoteles primo Eth.

Non

Non differt omnino puer ætate aut moribus puerilis. Hinc igitur patet quod modica aut nulla vtitur ratione cum nondum ſit in annis diſcretionis, & imo Galenus & alij ſapientes dicunt de viro adulto, cum habet ſigna quaſi occulta maniæ quod habet ſtoliditatem infantilem. Patet igitur quod ætas pueritiæ non ſit ætas felicitatis, cum habeant ſtoliditatem infantilem, & non aduertunt niſi ad delectationes, & imo viuunt quaſi vita beſtiali: Tota ergo prima ætas continetur ſub vita voluptuoſa, in qua nulla penitus felicitas continetur. SECVNDA autem ætas eſt Adoleſcentiæ ſeu Iuuentutis. Iſta enim ætas eſt in qua homines viuunt ſecundum ſe quod ciuiliter & moraliter & aſſociatiuè, hoc autem eſt proprium huius ætatis, cum homo ſit animal aſſociabile & ciuile natura ſecundum Ariſtot. primo Ethic. vt dictum eſt: Ex hoc enim acquirit homo triplex bonum. Primo enim ex ciuili vita acquirit neceſſaria: Vnus enim homo ſibi ſufficere non poteſt, & imo etiam quod ſint multi, quorum quidam vtantur arte fabrili, ſicut eſt ars frenifactiua, coriorum præparatio, lanifactiua, & cum his ſint opifices, vt opifices ligni, fabri, aurifabri, & ſic de alijs. Iſta autem omnia inueniuntur in ciuitatibus, ex his etiam omnibus acquiruntur vitæ neceſſaria, & ita acquiritur eſſe, viuere autem viuentibus eſt eſſe ſecundo de anima. Secun-

dum, quod acquiritur ex associatione & moribus ciuilibus, est Amicitia: Aut enim morantur homines in vna ciuitate, in vno vico, aut in vna domo. Sine autem amicis nullus potest bene viuere, nec est qui elegerit sibi viuere sine amicis, sicut scribitur 8. Eth. in principio. Tertium bonum, quod acquiritur, est recte viuere, & secũdum virtutem, qui autem viuit secundum virtutem, non potest male agere, quoniam virtus est habitus laudabilis, per quẽ operationes fiunt laudabiles & bonæ 2. Eth. Nunc autem in qualibet ciuitate debent esse leges & iura municipalia, per quæ regantur virtuosè, & ita etiam quod istæ leges constituantur vel à Principe, vel à præposito, uel ab aliquo qui habet virtutem condendi, premendi, & puniendi, hoc autem etiam, si quod procedat à duobus, à lege naturæ, & à lege humanæ veritatis, per viam rationis iudicantibus. Lex autem quæ docet viuere secũdum virtutem uel veritatem, est triplex, scilicet, Honeste viuere, Neminem lædere, & Vnicuiq; quod suum est, tribuere. Illa autem sententia quæ tractat de anima & moribus, est multùm nobilis, secundum intentionem Aristotelis primo Ethic. Nunc autem sententia Legalis seu Moralis, quæ docet recte viuere, partim tractat de Anima, quæ est multùm nobilis. Qui ergo ciuiliter, viuit feliciter, quoniam est de politica vita seu ciuili, cum nondum sit in annis di-

scretio-

ſcretionis, & hoc eſt quod tangit Ariſtoteles primo Eth. cum dicit: Amplius autem paſsionum ſequutor exiſtens inaniter audit & inutiliter, quod finis eſt non cognitio, ſed actus. Differunt autem in hoc, iuuenis ſecundum ætatem aut ſecundum morem iuuenilem, ſecundum quod dictum eſt. Nunc autem homines exiſtentes in prima ætate ſicut dictum eſt, ſunt perſequutores deſideriorum, & imo non poſſunt eſſe felices. Oportet igitur quod Adoleſcentes & Iuuenes gaudeant iſtam intrare curiam, cum ſint ſub annis diſcretionis. TERTIA autem ætas, eſt ætas Senectutis, & in hac vita viuunt homines ſuper ſe, quoniam ducũt vitam contemplatiuam, ſiue ſpeculatiuam, ſeu diuinam, ſeu angelicam, & hoc eſt quod ſcribitur Leuitici 19. Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis. Senes autem adhæſionem habent ad ſuperiora, cum contemnunt inferiora: Et hoc eſt, quod dicit Ariſtoteles ſecundo Eth. in fine. In Troia ſeniores populi afficiebantur ad Helenam dicentes, abijciamus eam, hoc eſt, ne reſpiciamus eam. Aſpectus enim mulierum inter omnia corrumpit ſumme mores, & hoc eſt quod ſcribitur Eccleſ. 9. Non reſpicias mulierem maleuolam, ne forte incidas in laqueum eius. Et ſequitur in litera: Non reſpicias virginem, ne forte ſcandalizeris propter decorem eius. Nunc autem à talibus illicitis, ſummè cauendum eſt

propter multiplicem deceptionem ſecundum intentionem Ariſtot. 7. Eth. loquens de Cyprigena dixit Venus doloſa varia, &c. Patet igitur quod ſenes omnia iſta contemnunt cum in ſenibus ſit prudentia, iuxta illud Ariſtotelis in Topicis. Nemo enim eligit iuuenes duces eo quod non conſtat eos fore prudentes. Senes autem eliguntur, & hoc eſt quod dicit Poëta: *Senex fidelis prima credendi via.* Patet ergo quod in Senibus eſt ſapientia & intellectus, & ſanum conſilium, & hoc eſt quod ſcribit Eccleſiaſt. Quod ſpecioſa eſt vetulis ſapientia, & glorioſus intellectus, & ſanum conſilium. Ex his igitur patet quod vita contemplatiua naturaliter ſolis ſenibus debetur, & ita ſunt ſenes beati & felices, non quod in hanc felicitatem poſsint ex proprijs naturalibus deuenire, & ſicut crediderunt Philoſophi antiqui, ſed indigent gratia, gratum faciente, vt dictum ſuperius. Hanc triplicem ætatem nouit optime Auguſtinus, cũ dicit, Quòd in hoc præſenti temperaneo non ſint niſi tria, ſcilicet, Naſci, Laborare, & Mori. Per Naſci intellexit ætatem pueritiæ, Per laborem ætatem iuuentutis, Per Mori ſenectutis ætatem. Quod autem ita ſit, poteſt particulariter hoc manu duci. Prima enim ætas eſt, quæ eſt ætas naſcendi, & eſt lamentabilis, miſerabilis, & turpis ætas non adhærens viæ vni nec ordini vni, Quod autem ſit ætas lamentabilis, hoc patet

ad ſen-

ad ſenſum, quoniam infans iam natus, ſtatim vagire & flere incipit, & læditur à quolibet contangente, & quod ingreditur deſertum mundi huius, quod eſt maximum & vaſtum: deſertum, propter priuationem bonarum operationum, & eſt natiuitas miſerabilis, quod deſertum huius mundi præſentis vitæ ingreditur nudus, & nudus egreditur. Eſt enim turpis, quoniam ſentinam egreditur ſordiciæ & violentiæ inuolutus, Eſt etiam tota natiuitas, & etiam tota vita agitabilis & variabilis, non adhærens viæ vni, nec ordini vni, & hoc ſignificatur in dictis Gal. 3. de diebus Criticis: Quædam eſt radix ſuperior & iſta adhæret viæ vni ſicut ſunt motus orbium, & quædam eſt radix inferior, & iſta non adhæret viæ vni, nec ordini vni, vt eſt materia morbi. Nunc autem natura humana non adhæret viæ vni nec ordini quantũ ad ſui materialia nec quàm ad formalia nec etiam quàm ad attributa: De materialibus patet quoniam ſecundum Gal. tertio de complexionibus, & Auicen. cap. illo ſingulari de cauſsis neceſsitatis vitæ & mortis Fen. 3. p. *Creati enim ſumus in vltimo limoſitatis & humiditatis, & non ceſſat calor noſtri corporis conſumere humidum radicale, donec mors adueniat, & ita in ſtatu nunquam permanet.* Hanc autem variationem & inſtabilitatem conſiderãs S. Iob dicebat: Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miſerijs, &c.

Et Hypocrat. hanc etiam inſtabilitatem conſiderans dicebat, vita breuis, &c. quoniam omnia exteriora & interiora vitam abbreuiant quantumcunq; etiam fuerint bene applicata, cum ab omnibus alteretur. Nec etiam adhæret viæ vni nec ordini vni, quantum ad ſui formalia, quod patet per Philoſophum tertio de Anima dicentem, Anima eſt tanquam tabula raſa, in qua nihil depictum eſt, Illa autem quæ apponuntur, aliquando ſunt vera, aliquando falſa, aliquando opiniones, aliquando phantaſiæ, aliquando demonſtrationes ſectæ & leges & fides, & ita tanta eſt varietas, quod non adhæret viæ vni nec ordini vni, cũ incipiat ab ignorantia, & etiam voluntas ad motum ventilabri continuè commouetur. Quantum ad attributa, legitur in Geneſi, quod cum Deus feciſſet hominem, poſuit coram eo mortem, & vitam, bonum, & malum, & quod voluerit hoc ei tribuere: Nunc autem tanta eſt imbecillitas naturæ humanæ, quod frequenter eligit mortem, & dimittit vitam, & eligit malum, & dimittit bonum, & hoc eſt quod ſentiebat Ariſtoteles in Topicis, Mali ut in pluribus & boni ut in paucioribus. Ex his igitur concluditur, quod nihil habet homo, de quo habeat occaſionem ſuperbiendi, cum ſit terra & cinis, Eccleſ. 10. Quare igitur ſuperbis terra & cinis. In te enim nullus ſtatus, nullus ordo penitus inuenitur? Et hoc totum intelligitur autoritate

præal-

præallegata, cum dicitur Naſci, & per hoc intelligitur prima ætas, quæ durat circiter annos XIIII. Et ſequitur, cum dicitur per Auguſtinum, Laborare, vbi intellexit ſecundam ætatem, quæ eſt Adoleſcentiæ & Iuuentutis. Iſta enim eſt ætas laboris, & doloris, & anguſtiæ, quoniam homines mundi huius, aut laborant in ſpeculando, aut in operando, Si in ſpeculando, ibi eſt labor & afflictio, ſecundum quod dicit Sapiens, Qui addit ſcientiam, addit & laborem. Si autem laboret in operabilibus, ſemper erit afflictio, quoniam vniuerſaliter nutrimēta cum labore acquiruntur, & cum timore poſsidentur, ſed cum maximo dolore amittuntur, & ita in omnibus quæ ſunt ſub ſole, non eſt niſi labor, dolor, afflictio, & vanitas, iuxta illud ſapientis: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Et hoc fuit promiſſum primo parenti poſt ſuam præuaricationem, ſicut ſcribitur Geneſ. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in cinerem vnde veniſti. Quod autem in iſta ætate ſit labor, & afflictio, & malicia, hoc bene vidit Gal. 6. Aphoriſ. ſuper illo. Eunuchi non &c. Iuuenes de viribus confidentes multas incurrunt ægritudines: Et dicitur, Filij huius temporis viuunt in ſua auiditate, luxuria, & guloſitate, & imo viuunt podagrici & artetici, quoniam ſemen coinquinatum eſt culpa parentum. ÆTAS igitur Iuuentutis eſt ætas laboris, & propter hoc dicebatur

batur per Auguſt. Laborare. Et ſequitur per eandem Mori, & per hoc intelligitur ætas Senectutis. Quod autem ætas ſenectutis ſit ætas Mortis, hoc videtur ſentire Galenus ſuper illo Aphor. Senes facilime ferunt ieiunium, Senes enim ſunt ſicut lucerna parata extinctioni. Et iterum ſenes nō ſunt ſine querela: Ita ſenectus eſt ſemita ad mortem, Mors autem ſecundum Ariſtotelem tertio Ethic. eſt vlt. terribilium: Tota autem ætas ſenectutis, non eſt aliud niſi mors, nunc autem nō minus debet timere hoſtis, qui eſt à parte poſt, quàm hoſtis qui eſt à parte ante, Iuuenes autem habent mortem à parte poſt, Senes autem à parte ante: Inter autem omnia quæ iuuant ad bene facere vel agere, eſt mortis memoria, iuxta illud quod dicit Hieronymus. Facile cōtemnit omnia qui ſe conſiderat moriturum. Agamus igitur iuxta conſilium Boetij in fine ſui libri de Conſolatione: Aduerſamini vitia, colite virtutem, ad rectas ſpes animum ſubleuate, humiles preces in excelſa porrigite.

Vt igitur vitam huius corpuſculi aliqualiter poſsimus prælongare, Regimen ſanitatis cum Dei auxilio inchoemus, iſtas tres ætates diligentiſsimè proſequendo à die natiuitatis vſque ad vltimam horam mortis. Et ita poſt ſeparationem cum Dei auxilio gaudentes ante tribunal iudicis veniemus.

DE NATIVITATE PVERI.

CAPVT I.

MVLIER CVM APPROXIMAT ad partum, debet ire ſuauiter per loca decliuia, & debet balneari in aquis dulcibus, vbi ſunt Camomilla, Melilotum, Malua, Biſmalua: Et cum infans egreditur, obſtetrix docta debet eſſe, & ſuauiter iuuare paulatiue trahendo caput, & deinde reſiduum corporis, & aqua tepida debet eſſe parata, & balneetur infans, & rectificetur figura capitis ſi indiguerit, quod figura capitis debet eſſe ſicut figura ſiue ſphæra cerea ex vtraq; parte leuiter compreſſa. Rectificetur igitur occipitium ſi indiguerit comprimendo, deinde extendatur frons & ſupercilia, & illinantur oculi cum oleo Seſamino, & ſugantur aures ab aliqua vili perſona ſuauiter & paulatiue, & mundetur foramen aurium cum digito minori, vnguibus tamen obtuſis, deinde cum digito minori mundentur paulatiue, & ſuauiter foramina narium, deinde ſcindatur filum quod eſt ſub lingua cum vngue pollicis: Deinde extendantur brachia, & digiti omnes, & complicentur & trahantur ſuauiter, deinde abſcindatur vmbilicus, & remaneat in ſpiſsitudine quatuor digitorum

gitorum, ſed ante inciſionem ligetur cum lana retorta, & intincta in oleo Seſamino, & poſt abſciſionem aſpergatur puluis Myrrhæ, aliàs mirte, Maſticis & ſang. Draconis: Dein fricetur pecten ſuauiter, Deinde extendantur coxæ & tibiæ, & articuli & duplicentur hinc & inde. Deinde foramen ani mundificetur cum digito minori, deinde exiccetur cum pannis lineis gracilibus, deinde ponatur in cunabulo uel in lecto, & aſpergatur puluis Mentæ, Calamenti Roſarum, Salicis, [*uel ſalis, id quod conſultius uidetur,*] deinde cooperiatur & ponatur in camera, quæ ſit quaſi obſcura. Deinde paretur cibus talis. Recipe Zuccari albiſs. & pulueri zetur in vltimo, & tunc recipe mellis mundi mediam partem, & miſceantur cum oleo Seſamino, & fiat quædam confectio liquida quaſi ſorbilis, vel quod poſsit lambi, & paulatiuè parua quantitas ponatur in ore, & cum iſto cibo poteris quaſi tranſire per duos dies, & interim mater faciat ſibi ſugi mamillas ab aliqua vili perſona, vel à pueris qui inueniuntur in hoſpitali. Deinde mater lactet infantem, quoniam alijs paribus exiſtentibus lac matris eſt melius, & eſt magis conueniens cum ſit magis ſimile generationi fœtus & nutritioni intrinſecæ: Sed quod nunc mulieres ſunt delicatæ & elatæ, aut timent laborem, aut non habent lac, aut quod papilla mamillæ eſt valde curta, aut quod infirma, aut alia multa ſimilia, & non

& non possunt lac administrare fœtui, ideoq; remedium adhiberi oportet, & nutricem laudabilem quærere.

DE ELIGENDA NVTRICE.

CAP. II.

NVTRIX HABERE DEBET XVII. Conditiones. Prima, quod sit ætatis 25. annorum vsque ad 35. hæc enim est ætas magis perfecta. II. Conditio est, quòd non sit nimis extenuata nec nimis pinguis, sit ergo mediocris habitudinis. III. Quòd mamillæ sint mediocres inter magnas & paruas, & inter molles & duras. IIII. Quòd lac suum nullo modo sit ex abortiuo, sed quod omnino sit partus naturalis, & in tempore debito, & quod habuerit masculum. V. Quòd non patiatur Menstrua. VI. Quòd non coëat, quod lac reddit fœtidum, & si conciperet, non posset sufficere fœtui extrinseco & intrinseco. VII. Quòd lac non sit mali aut alicuius grauis odoris, aut inepti saporis, nec sit nimis grossum, nec nimis subtile, & si proijciatur super vnguem, quod non nimis fluat, nec nimis stet, Idem si proijciatur in aquam. VIII. Quòd sit optime morigerata, scilicet, quod non de facili irascatur, nec timeat, nec tristetur, nec sit

fatua,

fatua, nec gulosa, nec ebriosa, quod omnes tales negligunt puerum. IX. Quod non utatur cibis multum calidis, sicut est Synapis & Eruca, & similia, nec nimis frigidis, sicut sunt Melones & Cucumeres, & similia, & quod exercitet se libenter, & potissime ante cibum. X. Quod lac matris fuerit ab vno mense cum dimidio, uel à duobus à die suæ parturitionis. XI. Quòd sit docta in curãdo puerum. Modus autem debet esse iste: Cum fuerit puer balneatus, & informatus, & lineatus sicut oportet, tunc debet ipsum inuoluere in pannis mundis & siccis, & debet extendere coxas & tibias, & brachia super latera, & fascia debet esse lata, & sine ruga, & non debet nimis stringere, nec parum sed mediocriter, Deinde debet extendere coxas & tibias, & si fuerit masculus, quod virgam & testiculos ponat extra coxas, & quod ponat ipsum in cunabulo, & domus non sit nimis clara, sed quodammodo obscura. Et si fuerit ibi lumen aut fenestra, quod sit retro caput longè, & nullo modo ex latere, hoc enim facit, quod infans sit strabo. Dein si non dormit, debet concutere cunabulum leuiter & suauiter, & non nimis concutiatur. XII. Quòd nutrix debet esse multum docta ad mores pueri, & ad consuetudinem eius, & quod caueat infantem à fletu, & potissime si est masculus, quoniam timendum est de ruptura, & imò si esset ligatus & fleat, soluatur,

uatur, & panni diligenter mundentur: Et si fuerit solutus, ligetur. vnde secundum doctrinam Galeni, principio de Regimine sanitatis, pueri tribus modis consolantur, Portando, cantando, & mamillas ad os apponendo, quoniam naturaliter gaudent in vehiculis & musica. De appositione autem mamillæ ad os dicit Auicenna. Quod experimento probatum est, quod appositio mamillæ ad os pueri curat omnes eius passiones. XIII. Quòd nutrix versus principium natiuitatis pueri nō lactet eum, nisi bis aut ter in die, & non sugat nisi in vna vice, vt nō repleatur nimis stomachus eius, ne angustetur & nauseat, & quod non permittat ipsum continuè sugere, quod ratione gulositatis incurrunt dolores faucium, mulgeat igitur aliquando nutrix lac in ore pueri. XIIII. Quòd caueat sibi nutrix quam maxime est possibile, quod puer nō cubet secum iuxta latus suum, sed in cunabulo quod aliquando acciderunt scandala, quoniam cum dormit nutrix, aliquando ponit brachium super os pueri, aut mamillam, & suffocatur infans, & imò non assuescat ipsum ponere iuxta se, quod postquā consueuerit, non possit de facili remoueri sine magno fletu, quoniam delectatur in calore nutricis, Inuoluatur ergo in pellibus & in cunabulis apponatur, & facies cooperiatur, arcu tamen posito super faciem. XV. Quod aliquando lambat confectionem factam de melle, Zaccharo, pane, & oleo Sesamino.

XVI. Quod si fuerit fœmina suauiter fricetur & inungatur cum oleo Sesamino, vt sit mollior, cum mulieres debeant esse molliores naturaliter, & si fuerit masculus, fricationes sint fortiores, cum naturaliter debeant esse solidiores. XVII. Quod tribus annis secundum Gal. lactetur infans, & secundum Auicen. duobus, Sed rationabile videtur, quod si fuerit masculus, lactetur tribus annis integris, & finis illius anni cadet versus principium æstatis, quod lactetur plus per illam æstatem. Et si fuerit fœmina, sufficiant ei duo anni cum dimidio, quoniam mulier non indiget robore sicut masculus, cum mulier non sit nisi pro custodia domus, secũdum Galenum in de complexionibus. Sed quod nutrix non semper inuenitur, in qua non sit defectus, necessarium erit vt rectificetur complexio, Si indiguerit calefaciendo, aut infrigidando, aut inphlebothomando, aut pharmacando, aut balneando. Si igitur lac fuerit nimis aquosum, vtatur risi & carnibus assis, & vino grosso, & si fuerit nimis grossum, vtatur pulpa & brodijs carnium, & vino subtili, & brodio cicerum, & si deficiat lac, vtatur butyro vaccino, & fabis frictis cum cinnamomo. Et inter omnia quæ summe multiplicant lac, est suauis fricatio mamillarum: Et omnia quæ multiplicant semen, multiplicant lac.

DE

DE AEGRITVDINIBVS QVAE EVENIVNT PVERIS NOVITER GENITIS.

CAP. III.

ÆGRITVDINES AVTEM QVAE veniunt pueris ſiue infantibus, ſunt multæ valde, ſicut patet per intentionem Hip. tertia particula Aphor. quas breuiter & per ordinem proſequamur, à Capite incipiendo.

DE APOSTEMATE CAPITIS.

IN primis accipiatur album oui & aqua Roſ. & oleum Roſ. æquales partes, aceti parum, & miſceantur, & panni linei intincti ſuper caput apponantur. In hac autem paſsione dolent oculi, & citrineſcunt, & facies, & imò ſi fortius facere volumus. Recip. Succum ſolatri, cucurbitæ, cucumeris & citruli & olei Roſ. partes æquales, & quaſi tepidum parti applicetur.

DE VIGILIIS PVERORVM.

CVM accidunt vigiliæ, ponantur in fronte & temporibus panni intincti in lacte mulieris puellam lactantis, & ol. Roſ. & farinam papaueris albi, Et ſi neceſsitas eſſet magna addatur ſuccus lactucæ, portulacę, vermicularis & mo-

dicum opij, .& in omnibus paſsionibus puerorum rectificetur diæta nutricis, quoniã vt plurimum veniunt paſsiones puerorum propter maliciam lactis nutricis. Nutrix igitur phlebotometur ſi repletio fuerit ſine crapula, & ſi crapula fuerit præcipiatur abſtinẽtia, & ſi fuerit inanitio, quod eſt de raro contingentibus repleatur. Mala igitur complexio rectificetur & vtatur cibis laudabilibus, & exercitio temperato, & ſomno, & vtatur laxatiuis cum indiguerit & ſomno, & hæc erit magna pars curationis.

DE TIMORE IN SOMNO.

TIMOR enim accidit propter corruptionem cibi in ſtomacho, etiam in adultis propterea minoretur cibus & lambat mel.

DE STERNVTATIONE.

SI venerit propter apoſtema, curetur cum oleo Roſaceo & lacte mulieris, & modico aceti, Et ſi fuerit propter rheuma, calidum emplaſtrum ponatur deſuper frontem, & tempora cum Roſis & ſandalis, & ſanguine Draconis, & aqua roſarum. Et ſi fuerit de cauſſa frigida, fiat cum maſtice, thure, & myrrha, & potiſsimè emplaſtretur commiſſura anterior capitis, quod propter nimiam raritatem in illa parte pueri frequenter incurrunt rheuma.

De hu-

DE HVMIDITATE AVRIVM ET DOLORE EARVNDEM.

Nimia humiditas aggregatur frequenter pueris in auribus, & tunc expedit mundare ſuauiter in ſole cum inſtrumento apto ad hoc, deinde aliqua vilis perſona ſugat ſuauiter illas humiditates, & euomat pòſt. Deinde inuoluatur paruus baculus in lana vbi ſit puluis aluminis & mel, & intromittatur in aurem, & humiditas auris ibidem imbibetur. Si verò accidat dolor, & fuerit propter nimium calorem, inijciatur vna gutta olei Roſa: cum lacte mulieris, & cũ modico opij: Et ſi fuerit de cauſſa ventoſa, bulliat myrrha, ſpicanardus, aniſum, & cuminum in oleo de camomilla, & vna gutta inijciatur.

DE INFLATIONE OCVLORVM.

Intingatvr ſpongia in aqua vbi ſit camomilla, meſilotus, & anetum, & tepidum frequenter oculo applicetur vel inſtilletur. Et ſi propter [*fletum*] fluxum aduenerit ſcabies in palpebris, inungatur cum ſucco ſolatri.

DE FISSVRIS LABIORVM ET LINGVÆ.

Recipe gummi dragacanthi, arab. infuſorum in aqua roſarum, & ceruſſæ lotæ & lithargyri optimè pulueriſati, & addatur lactis

mulieris alicuius vel lac caprarum, & cũ pluma intincta ciſſuræ vel fiſſuræ vbicunq; fuerint, liniantur.

DE PRVRITV GINGIVARVM.

CVM puer incipit producere dentes, tunc ſuperueniunt eis multa ſymptomata, ſicut eſt pruritus gingiuarũ, ſpaſmus, vigiliæ, & fluxus ventris, abominatio cibi, vomitus, inquietudo, & multi moriuntur. Inprimis diætetur nutrix diæta febricitantium. Deinde inungantur gingiuæ, & collum, & fauces, & aſellæ cum oleo violarum, vbi ſit modicum ceræ albæ. Dein fomentetur caput cũ aqua decoctionis Camomillæ, Meliloti, Viol. Roſarum: Deinde emplaſtetur venter cum Aniſo & Roſis in aceto infuſis, & vtatur coagulatione Edi, & Mentæ, & Abſinthij, & Roſ. & ponatur ſupra ſtomachum.

DE PVSTVLIS IN LINGVA ET FAVCIBVS.

Recipe Succi Portulacæ, cum aqua [*vel ſucco*] Myrtillorum, cort. malorum Granatorum, Sumach, Aluminis, bulliant in oleo Roſar. & illinantur puſtulæ & oregmone & apoſtemata gulæ.

DE TVSSI INFANTIVM.

FIAT conditum de Amygdalis dulcib. & vuis

paſsis mundis & melle, lambatur & prohibeatur rheuma, & rectificetur nutrix, vtatur ſucco liquiritiæ, & coriandri, & penidijs, & draganto frigido. Et ſi in ſomno patiatur oregmon lambat ſemen lini cum melle. Et ſi fuerit apoſtema, emplaſtetur totum collum cum oleo de camomilla, & lana ſuccida, & teneat in ore diamorôn miſtum cum aqua tepida; Decoquatur etiam in tuſsi lac caprarum recenter mulſum, & ponatur parum de aqua, & ſorbeatur. Vel ſic: Nutrix maſticet caricas fortiter, & poſtea ponantur in ore pueri: idem fiat de vuis paſs. mund. ab arillis, idem de fiſticis: pineis, & de amyg. dulcib. Et quod venit vt plurimum de rheumate, ſicut dictum eſt, & apertura commiſſuræ anterioris: fiat emplaſtrum ſupra commiſſuram, aut ſupra totum caput de maſtice, thure, & ficubus ſiccis.

DE DIFFICVLTATE ANHELITVS.

COMPRIMATVR radix linguæ vt euomat, & aqua calida guttatim proijciatur in os eius, & radix linguæ, & collum, & aurium inungatur cum oleo Seſamino, & lambat ſemen lini cum melle, vt dictum eſt.

DE PASSIONIBVS STOMACHI.

STOMACHO accidit ſingultus, vomitus, & debili-

debilitas, Contra ſingultũ valet nux moſchata ſeu Indica, Contra vomitum ſumat garyoph. cũ modico citoniorũ, & emplaſtretur ſtomachus cũ mentha, garyoph. & abſinthio. Contra debilitatem ſtomachi, Illiniatur ſtomachus cum muſco & aqua roſarum, vbi ſint myrtilli.

DE TVMORE VENTRIS.

ILLVD enim accidit aut propter maliciam lactis, & maliciam nutrimenti, Oportet igitur ſuper omnia minorare lac, & aliud nutrimentum, & rectificare oportet lac nutricis, Sit igitur puer & nutrix in paruitate cibi & potus quantum erit poſsibile, & nutrimentum ſit valde laudabile, in quanto & in quali, & venter pueri fricetur in ſole calido ſine vento, & inungatur cum oleo de pipere longo.

DE APOSTEMATE VMBILICI.

PVERIS autem nouiter genitis accidunt etiam apoſtemata in vmbilico propter vicinitatem inciſionis, tunc igitur emplaſtretur cum ceruſſa lota, & lithargyro, & oleo Seſamino & terebinthina.

DE DOLORE VENTRIS.

ALIQVANDO flent pueri & anguſtiantur propter dolorem ventris, & tunc panni calidi deſuper apponantur, & ſacculus de milio torrefactus

refactus applicetur & fomentetur cum aqua calida.

DE CONSTIPATIONE VENTRIS.

ACCIPIATVR mel crudum in panno lineo gracili, & fiat ſuppoſitorium, vel accipe dolſam nucis & acuatur & applanetur, & inuoluatur in melle & ſupponatur, præterea impleatur teſta nucis butyro, & ligetur ſuper vmbilicum, [*vel ex felle bouis & ponatur ſuper vmbilicum*] & cum hoc inungatur totus venter.

DE FLVXV VENTRIS INFANTIVM.

INPRIMIS nutrix vtatur riſi & lentibus duabus aquis abiectis, & vino groſſo & caſeo ſine ſale, & ouis induratis coctis in aceto, & infans vtatur lacte caprino cocto, vbi lapides candentes ſunt extincti, & vtatur coagulo hœdi, ſicut dictum fuit ſuperiùs, & balneetur in aquis ſtipticis ubi ſint plantago, laureola, ſumach, balauſtia & ſimilia.

DE RVPTVRA SIPHAC.

Recipe Naſturtium agreſte & torrefiat, & ſumatur cum lacte cocto, deinde balneetur in aqua ubi ſunt iſta ſtiptica, ſcilicet, pſidia, balauſtia, acacia, myrtilli, ſumach, poſtea po-

natur emplaſtrum quod eſt in lilio, ſuper rupturam. Partic. 7. cap. 7. p. 771.

DE THENASMONE.

PROPTER cauſſam frigidam. Aniſum, cuminum, & naſturtium, aſſentur & puluerizentur, & cum lacte ſumantur. Vel conterantur ſcarabei qui inueniuntur ſub vrceolis, & miſceantur cum ſeuo hircino, & fiat emplaſtrum, & ponatur ſupra particulam patientem.

DE VERMIBVS PVERORVM.

VTATVR ſemine Centonicæ cum lacte uel ſemine Zedoariæ. Et ſi eſſet cum febre. Recipe Succum ſemperuiuæ & ſolatri, & conficiantur cum farina hordei & aceto fortiſſimo, & fiat emplaſtrum, & ponatur ſuper ventrem, & ſi eſſet ſine febre, fiat cum felle bouis & perſicaria.

CONTRA EXCORTICATIONEM COXARVM.

Recipe Myrrhæ hordei, fabarum, lentium, puluerizentur & miſceantur cum oleo Roſarum, & inungatur locus.

DE EXITV ANI.

Recipe Nucis cupreſſi gallarum, myrrhæ, aloes, Maſticis, Sumach, Balauſtiæ, fiat puluis & ſuperaſpergatur & intromittatur.

DE

DE PVSTVLIS IN TOTO CORPORE.

Si fuerint albæ aut ſubrubræ, aut ſubcitrinæ de facili ſanantur, ſed virides aut nigræ, liuidæ aut vlceroſæ omnes malæ. Recipe Ceruſſæ lotæ, lithargyri, fuliginis gallarum antiquarum, minutim perforatarum, Aloe, Myrrhæ, puluerizentur & miſceantur cum oleo nucum & inungantur.

DE FEBRE PVERORVM.

Totvm regimen nutrici eſſe debet quod daretur ſicut ſi eſſet in ætate adulta. Puero autem dentur ſuccus malorum granatorum cum Zuccaro, & ſuccus citruli cum pauco camphoræ & zuccaro. Et vtatur Syr. Acetoſ. Oxyſaccaro, Syr. viol. Nonuphar. Iulebo cum aqua hordei.

DE REGIMINE PVERORVM CVM INCIPIVNT PRODVCERE DENTES.

CAPVT IIII.

Cvm infans incipit prodvcere dentes, ſignum eſt quod natura indiget cibo ſolidiori quam ſit lac, Et tunc nutrix debet illi dare panem bene maſticatum, aut panem infuſum in lacte, aut in brodio carnium,

aut in aqua vbi ſit modicum de vino aut in melle. Carnes enim maſticatæ ſunt ipſi dandæ & ita paulatiuè debet tranſmutari ad cibum ſolidiorem, & cum hoc etiam paulatiuè lac auferendum eſt. Et imò ſi non vult mamillam dimittere, vngatur tunc caput mamillæ cum allijs aut ſynapi, aut fuligine, aut myrrha puluerizetur, & ſi acceperit nimis de cibo, ita vt euomat aut egerat, aut ſudet, & quod vrina ſit remiſſa, tunc tardandus eſt cibus, donec præcedens acceptio ſit rectificata, cum autem incipit mouere aut ſedere nullo modo cogatur ſedere aut ambulare, quod timendum eſt de tortuoſitate tibiarum, & remoueantur omnia acuta, & inſcindentia, ſicut ſunt ligna, gladius, & ſimilia, vt non lædat ſe aut ſibi vicinos. Cũ autem incipit producere dentes caninos, tunc non teneat res multum ſolidas in ore, quoniam reſolueretur materia dẽtium ſecundum Auicennam. Sed fricentur gingiuæ cum cerebro leporis, quod facit à tota ſpecie creſcere dentes, & inungantur gingiuæ & collum cum axungia gallinæ recente, & maſticent radicem Ireos quæ non nimis eſt ſicca, aut radicem liquiritiæ recentem. Et ſi non inueniant temperantiam iſta cum lacte, aut in aqua & vino, maſticet ſuccum liquiritiæ. Quia ergo pueri ſunt calidi & humidi, vtantur cibis calidis & humidis cum temperamento.

DE

DE REGIMINE PVERORVM CVM INCIPIVNT LOQVI, AMBVLARE ET CVRRERE, & eſt ætas ab annis 4. [*vel 5.*] vſq; ad 12. vel 14.

CAPVT V.

PVER QVANDO SVRGIT A SOMNO exercitetur quantum voluerit, nunc ſecũdum intẽtionem Gal. Puer temperatus exerceat ſe quantum indigeat, & quieſcat quãdo indiget: Sed diſtemperatus in caliditate exercitet ſe vltra temperantiam, & talis indiget virga & freno. Si autem fuerit diſtemperatus in frigiditate nunquam vellet exercitari, & imò talis indiget ſtimulo & flagello, Cum autem excitatus fuerit balneetur & abluatur, deinde abſtergatur, deinde comedat, & poſt aliquam moram dormiat, deinde paulatiuè & per ordinem id regimen teneat. Deinde poſtquam peruenit ad VII. annos, ponatur ad literas & diſcat legere, ſcribere, & numerare, non tamen cogatur diu morari in ſcholis, ſed quamdiu ſic voluerit, & non nimis fatigetur, & fiat quaſi voluntas pueri, vt non iraſcatur aut non timeat, quod ira duceret ipſum ad furorem ſecundum Galenum, & timor ad ſtuporem, ſuper omnia ergo expedit, vt in bonis moribus inſtruatur, quod multum valet ad ætatem ſequentem.

quentem ſecundum Galenum. Et Auicenna dicit: Quod hoc eſt multum laudabile propter habitum fixum acquiſitum qui poſtea de difficili ſeparabitur. TRIA ergo ſpecialiter vitare debent: Primò, quod non loquantur turpia, & hoc eſt quod dicit Ariſtot. in moralib. ſuis. Propterea quod licet turpia frequenter dicere, contigit hoc idem ſæpius facere, & ſi pueri fuerint tales, verberibus egent, & ſi magni indigni ſunt honoribus. Secundò, debent ſibi cauere, quod non videant turpia, potiſsimè pudibunda virorum & mulierum, & alios actus inhoneſtos. Tertiò, debent euitare inhoneſtas cantilenas, verſus, aut rithmos, quinimo non debent audire Pamphilum, nec libellum de arte amandi Ouidij, & ita de alijs, & hoc eſt, quod dicit princeps Galenus in lib. de Regimine ſanitatis. Ex inſpectis & auditis, & mala muſica, mores puerorum corrumpuntur. Et dicit Auicenna: Quod ſicut mali mores ſequuntur malam complexionem, ſic mala complexio ſequitur malos mores. Multum ergo ſperandum eſt, quod qui bene morigeratus eſt in principio, quod ſit bene in fine, & è contrario ſperandum eſt, quod qui eſt male morigeratus &c. quod de difficili [*aut nunquam*] ſeparatur habitus fortis ſeu fixus, & iſta videmus in naturalibus. Si enim virga fuerit recta, nos ſperamus ſtipitem rectum, & ſi tortuoſa, ſtipitem tortuoſum, Videmus etiam quod ex

tribulis

tribulis nunquam colligimus vuas, nec ex ſpinis ficus. Vnde in morbis puerorum debemus iudicare, ſicut bonus medicus, ſi videat omnia ſigna bona, inde colligit non eſſe ipſum moriturum, ſed potius euaſurum. & è conuerſo, ſi videat omnia ſigna mala, nunquam iudicabit ipſum euaſurum, ſed potius moriturum. Similiter facit bonus agricola, nunquam ex frumento bono, mundo, ſeparabit zizaniam, nec ex zizania frumentum. Si igitur puer à principio fuit bene morigeratus, ſperandum eſt bonum, & non aliud, & imò facilimum eſt illud prouerbium. Oportet puerum primo tranſire per puerilia, & intelligunt per puerilia vicia. Ad hoc ergo aduertat omnis homo, quod pueri, & potiſsimè à principio, ſint bene morigerati, ex hoc enim ſaluatur & anima & corpus. Cum autem peruenerit ad ætatem XII. annorum puer, tunc debet eligere viam quam intendit, vel ad quam magis inclinatur iuxta concurſum particularium: Tunc igitur aut declinet ad militiam, aut ad artem mechanicam, aut philoſophiam. Si autem appetit militiam vt poſsit rempublicam viriliter defendere, tunc debet acquirere robur & fortitudinem, & ad hoc multum facit fricatio dura & aſpera, vt ſolidentur muſculi, & durus decubitus, & quod equitet, vt tibiæ prolongentur, & quod portet clauam modo in manu dextra, modo in ſiniſtra, vt brachia fortificentur, cum

tur, cum omne membrum fortificetur in operatione ſua, niſi nimis lædant ſiue excedant notabiliter, Deinde portet loricam, vt ſpatulæ fortificentur, aut ſanguis trahatur ad ſuperiora. Addiſcat etiam paulatiuè pati calorem, frigus & famem, & ſimilia, vt aſſueſcat quod bellum non uult hominem mollem, muliebrem, delicatum, ſed agoniſticum & audacem, & imò multum confert quod ſemper moretur cũ viris fortibus & audacibus, & quod aſſueſcat timida, & quod non terreatur. Aſſueſcat igitur videre homines mortuos in bello, & inſpiciat dimicantes viriliter, vt nunquam ad aduentum alicuius rei terribilis expaueſcat. Sed tamen licet ſit adeptus fortitudinem, & quod nihil timeat penitus, & quod citius eliget mori milleſies quàm fugere. Tribus alijs tamen virtutibus indiget, ſcilicet, Prudentia, Temperantia, & Iuſtitia, & dominus dirigat ipſum, Amen, quod non intendam ire plus cum ipſo.

Secunda via eſt ars mechanica, cum aliquis vult ſe exercitare in ſtudijs mechanicis, ſiue in artibus negotiatorijs, ſine quibus vitæ neceſſaria haberi non poſſunt, oportet quod fortiter fricentur, non tamen ita fortiter, ſicut illi qui exercentur in arte militari, non enim indigent tanto robore corporali, diuerſa igitur debent aſſueſcere ſecundum diuerſitatem officiorum. Qui igitur vult eſſe piſcator, aſſueſcat frigidam aquam in æſtate. Et qui vult eſſe faber, aſ-

ber, assuescat fabricam suam in hyeme, Et qui vult esse mercator, assuescat paulatiuè ambulare, & ita de alijs. Tertia autem via est via Speculatiua, cùm aliquis vult se exercitare in studijs & philosophia, & iste indiget exercitio suaui & temperato, & indiget fricationibus mollibus, vt carnes sint molles, quoniam molles carnes habentes aptos mente dicimus esse, & inter omnes homines magis debent esse mites, & in quiete, quoniam anima in sedendo & in quiescendo fit prudens, Inprimis igitur magister idoneus eligatur.

DE ELECTIONE MAGISTRI.

CAPVT VI.

ALIQVÆ CONDITIONES SVNT, quæ requiruntur ex parte magistri, Aliquæ verò ex parte discipuli: Et aliquæ debent esse doctrinæ, in qua Magister instruat pueros & puellas. Conditiones quæ requiruntur ex parte Magistri sunt, Prima, quòd sit aptus ad docendum, subtilis & ingeniosus, vt sciat interpretari scripturas, & ubi videntur contrarietates doctorum, quod sciat ad concordiam reducere, & ex scripturis sciat eligere modum meliorem & meliora, Nil enim magnificum docebit, qui à se nihil didicit. Et hóc est quod scribi-

ſcribitur libro Sapientiæ. Illum eruditorem elige quem magis mireris in ſuis quam in alienis, qui enim non dicunt niſi quod inueniunt in chartis & tabellis, nō ſunt doctores, ſed ſunt ſicut illi qui narrant rumores, quoniam miſerrimi ingenij eſt ſemper inuentis vti. Secunda conditio eſt, quæ requiritur in Magiſtro quod ſit bonæ vitæ, & honeſtæ conuerſationis, Et de hoc prognoſticat Aquitaneus, Bene autem dicere & malè operari, nil aliud eſt quam ſe ſua propria voce damnare, tales .n. latrinam portant coram ſe, vt alijs ſuas ſordicies manifeſtent. Tertia conditio eſt, quod in docendo ſit humilis non ſuperbus, aliqui enim cum legunt putant ſe omnia ſcire, & alios ignorare, & ita iactant ſe ipſos laudantes, & alios vituperantes, & tamen per ſuperbiam cecidit Lucifer de cœlo, & Adam de Paradiſo. Sed cum de ſcientia cum humilitate ſuperbitur Prouerbior. x i. Vbi humilitas ibi ſapientia, ſuperbus multa credit ſcire quæ neſcit. Quarta conditio, quod ſit eloquens, quoniam ſcientia ſine eloquentia eſt ſicut gladius in manu paralytici, nullus enim artifex bene poteſt operari ſine inſtrumento. Lingua enim eſt inſtrumentum in quo prius manifeſtatur hominis ſcientia, ſi igitur fuerit bleſus vel traulus, aut ſtridens, conceptum exprimere non poterit, & imò ſcribitur in prologo Theoricæ: Sapientia ſine eloquentia parum prodeſt. Et in libro Sapientiæ, Nihil

tiæ, Nihil est quod non posſit malè narrando, vel pronunciando deprauari. Quinta conditio, quæ requiritur, est peritia docendi, vnum certum ſignum hominis ſcientis eſt, quoniam cum legit intelligunt eum omnes, & hoc eſt quod dicit Ariſtoteles in proœmio Metaphys. Et omnino ſcientis ſignum eſt cum poſsit docere, & in hoc concordat Proſper Aquitaneus in lib. de contemplatiua vita. Tam apertus debet eſſe ſermo docentis, vt ab intelligentia ſua nullos excludat quantumuis imperitos. Sed ſicut requiruntur aliquæ conditiones ex parte doctoris, ſic etiam aliquæ requiruntur ex parte diſcipuli, quarum prima & principalior eſt, vt Dominum Deum diligat & timeat, iuxta illud: Initium ſapientiæ timor Domini. Secunda conditio eſt, quod ſit bonæ vitæ, & ſanctæ conuerſationis, quoniam ſicut videmus quod volatilia ad ſibi inuicem conueniunt, ſic veritas ad eos qui operantur eam. Et imò Auguſtinus, errat, qui veritatem ſe cognoſcere putat, ſi adhuc nequiter viuat. Tertia conditio, Quod nullo modo ſit ſuperbus, & de hoc Auguſtinus lib. confeſsionum: Rumore vel timore meo ſuperabar à te, & facies mea inflata non ſinebat me videre verum. Quarta, quod non ſitguloſus, & de hoc Hieronymus, Venter pinguis non gignit tenuem ſenſum. Quinta, quod non ſumat vinum vltra temperamentum, & de hoc Boëtius: Vinum modicè vel

moderatè ſumtum acuit ingenium, non moderatè verò ſumtum, rationem perturbat, intellectum hebetat, & memoriam eneruat. Sexta conditio, Quòd libenter & frequenter oret, & de hoc Auguſtinus: Oratione melius ſoluuntur dubia quam inquiſitione alia. Septima conditio, Quòd ſit humilis: declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis, & per paruulos intelligit humiles, humili enim pertinet vt non erubeſcat fateri quod ignorat. Et de hoc Auguſtinus optimum verbum, Non eſt erubeſcendum homini ſe neſcire confiteri quod neſcit, ne, dum ſe ſcire mentitur, nunquam ſcire mereatur. Octaua, Quòd in legendo & ſtudendo non nimis velociter tranſcurrat, & de hoc Sapiẽs: Nihil magnum natura citò effici voluit, propoſuitq; cuilibet pulcherrimo operi difficultatem, difficultas autem rei in tranſcurrendo videri non poteſt. Nona. Quòd non ſtudeat in curioſitatibus vbi nulla aut modica eſt vtilitas & labor magnus, & huiuſmodi curioſi ſunt qui ſtudent in prophetijs [*inueniendis*] & ſimilibus, & de hoc Seneca: Quare te torques in illa quæſitione, quam ſubtilius eſt conceſsiſſe quam ſoluere. Decima, Quòd ſuper omnia vitet otium, quoniam inter omnia otium excæcat intellectum, videmus enim quod vſus ſuauis ferrum dealbat & clarificat, & à rubigine præſeruat, ſic in ſtudendo vſus continuus & tempe-

temperatus intellectum clarificat & decorat. Nunc autem ſicut ſunt aliqua quæ decent doctorem, ſic etiam aliqua quæ decent diſcipulum, ita decens eſt quod doctrina doctoris in diſcipulum certa & limitata ſit. Inprimis igitur inſtruat magiſter diſcipulum ſiue puerum quid deceat, quid liceat, quid expediat, quo ad naturam, quo ad perſonam, quo ad tempus, quo ad locum, & de hoc dicit Hugo de ſancto Victore: Diſciplina eſt membrorum omnium motus, ornatus, & diſpoſitio decens in omni habitu & actione. Ordinatio igitur licita & honeſta in omni agibili debet eſſe. Secunda doctrina Magiſtri debet eſſe talis circa puerum, quod puer non habeat geſtus indiſciplinatos, quoniam geſtus & motus, vel diſpoſitio corporis qui indicant motum & diſpoſitionem animi ſunt ſicut effectus ad cauſſam: Et de hoc Bernhardus. De cordis theſauro procedit quicquid de foris apparet vitiorum, & de hoc honeſto geſtu loquitur Hugo de ſancto Victore: Vnumquodq; membrum opus ſuum tam decenter ac modeſtè adimpleat, vt per indiſciplinam oculos aſpicientium non offendat. Tertia doctrina debet eſſe circa ornatum veſtium, vt ſcilicet non quæratur nimia ſuperfluitas, aut precioſitas, aut varietas extra metas, aut ſuauitas. Ornatui igitur corporali ſemper præponatur ſpiritualis, & de hoc Seneca: Non ſplendeat toga nec ſordeat. Et in

hoc concordat Hieronymus: Ornatus & sordes pari modo sunt fugiendi. Quarta doctrina est oris custodia, Qui enim custodit os suum, custodit portam suæ ciuitatis, & per consequens omnes sensus, cum ex gustu multa mala proueniant, vnde scribitur Prouerb. 13. Qui custodit os suum, custodit animam suam, &c. Quinta doctrina versatur circa custodiam linguæ, tanta est enim linguæ nobilitas, quod Deus posuit eam in thalamo precioso, & coram ea 32. propugnacula, per eam enim fit modestia in loquendo, & cum hac oratio Dei & laudatio, peccatorum confessio, proximi eruditio & etiam consolatio, nihilominus diligentissimè est custodienda propter mala quæ inde possunt euenire: Et de hoc Bernhardus: Vnus est qui loquitur, & tãtum vnum verbum profert, & tantum vnum verbum vno momento multitudinis audientium aures inficit, animas interficit. Sexta doctrina est, de locutione, cum aliquis loquitur, debet animaduertere si loquatur coram sene aut iuuene, coram sapiente aut coram fatuo, coram extraneo, aut coram priuato: Et si loquatur de Deo, fiat hoc semper cum timore & reuerentia, & debet animaduertere, si est in loco sacro aut non, & si de rebus [*magnificis*] manifestis loquitur aut non, In quolibet enim istorum aliter & aliter debet loqui: & de hoc Seneca: Sermones vtiles magis quàm facetos & affabiles

biles

les ama. Septima doctrina, de Quantitate cibi & potus. Nullus enim debet ſumere cibum & potum in tanta quantitate, quod ſedetur appetitus, Ede citra [*cruditatem*] auiditatem, bibe citra ebrietatem, Patet igitur quod ſummè iuuat corpus & animam ſumere cibum & potum in temperata quantitate: Et de hoc Chryſoſtomus: Nihil ſic ſalutem, nihil ſic ſenſuum acumen operatur, nihil ſic ægritudinem fugat, ſicut moderata refectio. Ex his patet quod cibus & potus non ſunt ſumendi, niſi quantum ſufficiunt ad vitam, & de hoc Pythagoras: Docto homini viuere eſt cogitare. Octaua doctrina eſt de Qualitate cibi & potus. In cibis enim & potibus & alijs quæ corpori applicantur, non debemus quærere res nimis precioſas, aut delicioſas, aut curioſè præparatas: & de iſta materia loquitur Seneca, lingua angelica dicens: Cibus famem ſedet, potio ſitim extinguat, veſtes arceant frigus, domus iuuamen ſit aduerſus infeſta corporis: Non debet cibus nimis delicioſè parari, vnde Seneca: Palatum tuum fames excitet non ſapores, & verè piè cogitatur: Nulla delicia competit in tota vita humana, & de hoc Bernhardus: Vniuerſum tempus vigilia quædam eſt ſolennitatis magni & æterni ſabbathi quod præſtolamur. Nona: De modo ſumendi cibum. Modus autem ſumendi cibum eſt, quod ſemper oratio præcedat cibum, & quod de-

center ſedeat & honeſtè ſcindat panem ſuum, & nullo modo deturpet veſtes ſuas, & in tota menſa verba & facta fulgeant honeſtate, & nunquam audeat ſe ponere ad menſam, donec habuerit ſalſam, ſalſa autem eſt fames, & de hoc Seneca: Solus panis bonus cibus, famem ergo ſperabo, nec ante edam donec bonum panem habere potero, & eſt fames. Decima, de incontinentia & caſtitate. Incontinentia enim eſt ſemen omnium malorum poſſidentis: ſterquilinium & excæcatio omnium virtutum. Omnia enim quaſi vitia incipiunt à ratione, vnde iratus etiam à ratione incipit, vult enim recta ratio iniuriam illatam vindicare, ſed cum errat in modo, quod non ſeruat quantum & quomodo, ſi incontinens eſt omnino præter rationem quam continens ſequitur delectationem ſenſibilium ſicut iumentum, & imò in hoc [*non*] differt à Bruto, imò deterius eſt quàm brutum, quum habeat rationem, per quam regi deberet & hoc optimè fuit ſignatum Ioëlis primo dicens: Putruerunt iumenta in ſtercore ſuo: Et hoc exponit Gregor. Iumenta in ſtercore ſuo computreſcere, eſt homines in fœtore luxuriæ vitam ſuam finire. De magnificentia & nobilitate caſtitatis ſcribit nobis Origenes, dicens: Caſtitas eſt ſtatus qualitatis angelicæ, & in hoc conuenit Hieronymus, cũ dicit: In carne præter carnem viuere, non terrena vita eſt ſed cœleſtis.

Vltima

VLTIMA doctrina quæ pertractari restat, est de Puellis nutriendis: Inprimis igitur instruantur in castitate, deinde in humilitate, deinde in pietate, deinde summè & mirificè in taciturnitate, & quod sit quasi syluestris, videmus enim quod communiter omnia animalia syluestria habēt pulchriorem pellem quam domestica, quod ab hominibus non tanguntur, nec vllo modo tangi se permittunt à viris, nec vnquam respiciant aliquem in vultu directo aspectu vt quasi totum syluestrem se reddat, nec vnquam exeat domum suam euagando, nisi esset optimè associata, ne accidat quod accidit Dinæ, volenti videre mulierem regionis illius, & à Sichem corrupta est, Genes. 34. Instruantur etiam in ornatu, vt non tingant crines, nec crispent violenter capillos, nec ante nec post depingant faciem suam, nec diuidant supercilia, nec portent torques, nec alia ornamenta picturata ex auro vel argento, vel margaritis, nec aliquas gemmas, nec sotulares albos pictatos vel punctos, vel incisos, sed incessus vel gestus & ornatus sit in omnibus, & per omnia licitus & honestus: & puella nunquam debet esse ociosa. Legitur enim in lib. de XII. Cæsaribus, quod Augustus Cæsar filiam & neptes sic fecit instrui, vt etiam lanificio assuescerent. Modus autem viuendi puellarum, optimè tangitur à Hieronymo, de manè enim debent puellæ se dare horis diuinis, deinde le-

ctioni, deinde canticis & orationi, deinde tenere collum, & rotare fusum, & stamina pollice ducere: Et in hoc per Dei gratiam terminata est prima ætas.

EXPLICIT DE REGIMINE SANITATIS PRIMAE AETATIS, & incipit

SECVNDA ÆTAS ET PRIMVM DE EXERCITIO.

CAPVT VII.

FVLGENTIVS DESCRIBIT EXERcitium per modum decoratissimum & mirabilem in omnibus, & per omnia verum exercitium inquit, est humanæ vitæ conseruatio, caloris naturalis lima & exercitatio, naturæ dormientis est stimulatio, superfluorum consumtio, membrorum consolidatio, mors morborum, fuga vitiorum, medicina languorum, temporis lucrum, iuuentutis debitum, senectutis gaudium, salutis adiutorium, destructio omnium malorum, ocij minutio, Ille igitur solus ab exercitio abstineat [*subtrahat*] & labore, qui felicitatis gaudio vult carere. Auicenna vero exercitium sic describit: Exercitium est motus voluntarius, propter quem anhelitus fit magnus

magnus, frequens & neceſſarius: Intelligendum ſecundum intentionem Gal. quod nullus poteſt eſſe longæuus, niſi ille qui eſt occupatus in aliqua operatione neceſſaria, & imò oportet quod totus ſit liber, & quod totus operetur ſecundum ſuam voluntatem, Et imò labores Carpentariorum, Agricolarum, & Mercatorum, & ita de alijs, non ſunt exercitium, quod propterea non eſt motus voluntarius, ſed quodammodo coactus. Præterea Mercatores, Burgenſes, & Clauſtrales, & multi conſimiles bene ambulant, & diu & longè, ſed non eſt propriè exercitium, niſi aliquis ex voluntate propria tantum ambulet, & ita velociter quod incipiat fatigari, & anhelitus immutari, & tunc ſtatim debet quieſcere & ſedere, quod ſi vlterius moueretur, non eſſet niſi pœna & fatigatio, & tale exercitium vocatur temperatum, & accreſcunt multa bona corpori propter tale exercitium. Primò, quod excitatur calor naturalis, & vigoratur & augmentatur, & per conſequens appetitiua & digeſtiua, & expulſiua totius corporis, Quantum ad res digeſtiuas, & motus cordis & ſpiritus viuificus elucidatur, & omnis ſenſus corporis, ſimiliter viſus & ita de alijs meliorantur. Et per conſequens, imaginatio & memoria, & ſuper omnia intellectus illuminatur. Et verò dato quod acciderit error in omnibus operationibus medicinalibus dum tamen non eſſet multum notabilis,

& exercitium fieret ſicut debet fieri, nunquam corpus humanum indigeret alia medicina aut rarò, quod exercitium suppleret defectus aliorum omnium. Gaudeant igitur qui timēt phlebotomiam aut pharmaciam, quod per exercitium ſaluabuntur. Duo tamen ſunt exercitanti neceſſaria, ſ. quod non ſit nimis repletus, quod tunc diſſoluerentur [*reſoluentur*] humores, & timēdum eſſet de apoſtemate aut febre, aut morte ſubitanea. In tali ergo caſu præcedat longa abſtinentia & fortis, & deinde exercitetur. Secundum eſt, quod non nimis ſit inanitus, quod tunc diſſolueretur corpus, & debilitaretur vltra menſuram, quoniam vbi eſt indigentia, non oportet laborare, ſecundum Hippocratem ſecundo Aphor.

EXERCITIVM igitur eſt vna de altioribus & nobilioribus rebus, quæ corpori humano poſſunt applicari in regimine ſanitatis ſuæ, & in prolongatione vitæ quodammodo neceſſarium, quoniam nutrimentum elongatur à natura noſtri corporis, quomodocunq; bene digeſtum, & bene præparatum, & imò in qualibet digeſtiua eſt aliquid ſuperfluum, impurum, quod indiget quotidiana mundificatione, aut aliter aggregatur cacochymia, & eſt timendum de febre & apoſtemate, & alijs infortunijs multis, niſi iſta mundificentur phlebotomia. Phlebotomia autem non poſſumus mundificare, quoniam non competit

petit, nisi quando solus sanguis dominatur, aut quando omnes humores, & imò non competit in omni casu. Item, molestum esset facere quotidie, præterea summè debilitat corpus, & imò cum phlebotomia bono modo euacuari non possunt, nec cum pharmacia, quod omnes sunt venenosæ, secundum Galenum & Auicennam. Et si continuentur, [*purgantur*] inueterant & reducunt corpus in malos vsus.

Medicina igitur [*excessiua*] exclusa est, quo ad quotidianam euacuationem siue mundificationem.

Nec per balneum potest bene mundificari, quoniam secundum Galenum tertio Aph. In balneis non mundatur, nisi quod cuti vicinatur, Præterea si quotidie homo balnearetur, esset quidem magni sumtus, nec fortè inuenirentur quotidiè balnea, nec expediret etiam, cum non ita perfectè mundificent.

Relinquitur igitur, quod exercitium est multum necessarium, quoniam exercitium supplebit phlebotomiam & pharmaciam, & balneum, & cum hoc in exercitio non est timor, nec amaritudo, nec expensæ, sed ibi est pura recreatio animæ & corporis, dum tamen fiat per loca munda, quod tunc exponit se bono aëri, & gaudet in videndo longinqua & propinqua, & cœlum,

& maria

& maria, & viridia. Et in omnibus his tenetur Dominum Deum commendare & laudare & magnificare. Bonum eſt igitur exercitium, quod hominem vnit creatori ſuo. Iſtam materiam tentat Galenus 3. Aph. Can. 16. Conſtitutiones vero anni omnino quando ſiccæ, pluuialibus ſunt ſalubriores. Et tractat eam Galenus prima particula de regimine ſanitatis, & Auicenna primo Canone Fen. 3. & Hali ſecunda particula libr. Regum, & Conſtantinus ibidem quod idem eſt.

DE SPECIEBVS EXERCITIORVM.

CAPVT VIII.

SPECIES EXERCITIORVM oportet quod ſint multæ, ſecundum curſum & diuerſitatem particularium, quoniam aliqui patiuntur in pedibus, & illi non poſſunt exercitari ambulando, Alij patiuntnr in manibus, & illi non poſſunt exercitari manibus operando. Aliqui in faucibus, [*& gutture*] patiuntur, [& illi non poſſunt exercitari vociferando aut tibicinando, præterea aliqui ſunt fortes, aliqui debiles, aliqui diuites, aliqui pauperes, aliqui prælati & delicati, & aliqui non, & imò oportet habere ſpecies multas exercitiorum. Prima ſpecies exercitiorum fit deambulando per loca

loca munda, alta & diuersa, & est melior species inter omnes, quoniam corpus magis mouetur æqualiter. Alter modus est equitando, & iste est pro diuitibus, & cum hoc fit exercitium in quadriga, & dicit Auicenna, quod valet patientibus in oculis, cum tenent faciem à parte pòst. Et est species alia exercitij in nauicula in mari, & competit cacochymicis propter fastidium & vomitum. Aliæ sunt species exercitij diuersæ pro iuuenibus lasciuis, vt sunt currere, luctari, saltare, dimicare, lapidem proijcere, & ita de multis alijs speciebus exercitiorum, quæ fiunt in iactando. Prælati autem, oportet quod habeant alios modos, In camera enim debet esse vna grossa corda nodata suspensa, & tunc illa corda accipitur cum [*ambabus*] duabus manibus, & homo debet stare erectus, ita quod non tangat terram, & stet sic longo tempore, deinde saltabit cum illa corda, currendo quàm poterit hinc inde se voluendo & deambulando, vel si non placet sibi iste ludus, habeat lapidem de 30. libris, vbi sit annulus & portet frequenter ab vna parte ad aliam, vel teneat in aëre superius longo tempore priusquam deponat, vel portet ad locum [*collum*] suum, vel inter manus, & ita de alijs modis donec incipiat fatigari, vel teneat baculum in manu, & quod alter auferat sibi si potest rectè trahendo, vel quod auferat denarium de manu sua, & quod manus sit clausa.

clausa. Et dicit Galenus. Quod accipiat aliquis pellem, & ponat in capite indicis, & alter teneat manum clausam, & tum videat cum illo digito, si poterit, pugnum aperire, Alter modus est, quod duo sedeant in terra, pedes contra pedes, & quod teneant ambo vnum baculum, & postea videant quis istorum poterit alterum eleuare. Alter modus exercitij est, quod teneat anhelitum, & quod [*impellat*] expellat, vel versus caput, vel versus ventrem, & est multum vtilis, nisi quod dicit Auicenna, quod est periculosus. Et dicit Galenus, quod aliqui tàm diu tenuerint, donec suffocati sunt. Oportet igitur in tempore pluuiali, & pro religiosis & honestis viris in camera multas species nouas exercitiorum inuenire.

DE FRICATIONIBVS.

CAP. IX.

CIRCA MATERIAM FRICATIONUM quatuor sunt consideranda, Primum est de speciebus fricationis. Secundum de vtilitatibus eius. Tertium de fricatione per comparationem ad exercitium. Quartum est de modo & loco. Circa primum est intelligendum, quod species fricationis sunt quatuor, Est enim quædam fricatio dura, & quædam mollis,

mollis, & quædam aspera, quædam lenis, quædam multa, quædam pauca, & quarta species quæ est media inter omnes, & est temperata, dura fricatio appellatur, quando cutis fortiter & cum quadam violenta compressione fricatur, cuius operatio est indurare, coadunare, constringere, Cuius ratio est, quoniam à principio facit exhalare humiditatem, quæ est iuxta cutim, & deinde corrugare, & ita retinet superflua, & etiam ratione coarctationis, & compressionis constringit, & ita facit aqua nimis calida, quoniam claudit poros, & constringit corrugando, & ita facit aqua calida nimis in principio balnei. Mollis autem fricatio est suauis & tractabilis, & talis relaxat & mollificat, & rectificat, seu rarificat. Sed aspera fit, quando cutis tentatur & fricatur cum panno aspero, aut cum manibus callosis, aut cum lapide spongiæ, & talis fricatio trahit sanguinem ad [*exteriora*] superiora. Fricatio autem lenis fit per manus puellarum, aut panni linei antiqui, & habet aliquantulum trahere & conseruare. Est etiam fricatio multa, quando multum continuatur, & ista naturaliter resoluit, & dissoluit, & consumit, parua autem habet modicum effectum ratione paruæ continuationis. Temperata autem est media inter omnes, & imò habet carnem generare. Istæ autem sunt species simplices. Sed compositæ sunt quando dura componitur cum magna aut

multa,

multa, & cum pauca, & cum media, & cum leui, & ita poteſt ſociari aſpera, ſimiliter mollis, quando coniungitur cum multa, & cum pauca, & cum media, & cum leui. Sed dura & mollis non habent ſocietatem, nec aſpera & leuis, nec pauca & multa, nec temperata abſolutè coniungitur cum aliqua aliarum quæ tunc non eſſet temperata, & tunc effectus proueniunt varij ſecundum diuerſitatem compoſitionum. Videamus igitur nunc de ſecundo. De vtilitatibus ſcilicet fricationis, nunc autem diuerſis fricationibus indigemus ſecundum diuerſitatem habitudinis corporis, quoniam quidam habent habitudinem corporis multum raram, & paſsibilem, & tales indigent fricatione dura, vt ſolidentur & pori conſtringantur. Sed quidam habent habitudinem ſpiſſam & ſolidam, & illi indigent fricatione molli & multa, & quidam habent habitudinem pinguem & repletam, & tales indigent aſpera & multa vt fiat attractio, & attracti multa reſolutio. Et quidam habent habitudinem extenuatam, & tales indigent fricatione temperata vt nutriãtur, & quidam ſunt delicati & debiles, & tales indigent leui, & ſuaui, & pauca, & ita ſapiens medicus vtetur diuerſis, ſecundum diuerſitatem particularium. Modo autem videamus de tertio, ſcilicet, de fricatione per comparationem ad exercitium. Quædam enim eſt fricatio, quæ debet fieri ante &

quædam fieri pòſt. Cum aliquis vult exercitari, tunc competit fricatio dura & pauca, vt ſolidentur muſculi & lacerti, & ita præparantur ad motum poſt exercitium, aut quod fortè exercitium [*fuit*] ſumit nimium, & conſequentur aliqui tumores, vel aggregatio aliquarum ſuperfluitatum, vel aliqui dolores, vel fatigationes, & ſimilia, tunc non competunt [*aliud habuit: tunc competunt, &c.*] fricationes molles & leues, & multæ, vt ſuperflua expellantur, & inunctiones cum oleo amygd. dul. & coriand. & competunt balnea & abſtinentia, & ſimilia, & hoc tractabitur melius cum tractabimus de diſpoſitione laborioſa. Quarto, videamus de loco & modo. LOCVS autem vbi fricandus eſt, debet eſſe temperatus, Sed ſi ſumus in hyeme, calefiat domus, & cum fuerimus in æſtate, infrigidetur cum aqua frigida. Sit ergo locus nec nimis frigidus, nec nimis calidus, & tunc patiens ſit nudus, & fricatores ſint multi, incipiat à capite, deinde veniat ad collum & ſpatulas, & brachia, deinde ad pectus, dorſum & ventrem, coxas, anchas, tibias, & pedes, & fricetur totus ſimul à multis manibus, imò cum vnguibus, modo cum palmis, modo cum pulpis digitorum, modo cum ſindone. Et hoc fiat in qualibet parte corporis bis aut ter, ſecundum quod delectabitur, aut ſecundum quod indiguerit, & ſecundum conuenientiam particularium aliorum. Eſt

etiam quædam ſpecies fricationis, quæ non competit ſanis, quę fit in ſyncope, & doloribus interioribus, & ſic quædam fricatio debet incipere ab interioribus ad exteriora, & nunquam ab exterioribus ad interiora, & eſt mollis & leuis. Sicut in dolore quædam eſt fortis & dura, aſpera, & multa, ſicut in lethargia & ſyncope, ſed hoc non pertinet propriè huic capitulo.

DE BALNEIS.

CAP. X.

CIRCA NATVRAM BALNEORVM, quatuor ſunt intelligenda: Primum de Iuuamento & nocumento in generali. Secundò, de iuuamento in particulari. Tertium eſt de loco & de modo. Quartum eſt de balneo aquæ frigidæ. Circa primum eſt intelligendum, quod iuuamentum primum balnei aquæ dulcis calidæ eſt, quoniam remouet laſsitudinem. Secundum eſt, quod abſtergit ventrem. Tertium eſt, quoniam inducit ſomnum, & imò cum aliquis appetit dormire poſt balneum, ſignum eſt, quod particularia bene conueniunt circa balneum. Quartum eſt, quoniam balneum abſtergit, & attrahit, & mundificat, & ſuperflua expellit. Nocumentum autem balnei, cum fit quando non eſt opus, quoniam inducit

Inducit nauſeam, vomitum, & feb. putridam, & apoſtemata, Imò balneum corpori plethorico minimè conuenit, nec oppilatis, nec apoſtematis, nec vulneratis, nec rheumaticis, nec minimè poſt cibum. Secundò, veniamus ad iuuamenta particularia, Balneum autem fit propter tria, aut vt corpus impinguetur, aut vt maceretur, aut maturetur, aut in ſanitate conſeruetur. Balneum autem ad impinguandum debet fieri poſt cibum, cibo tamen digeſto in ſtomacho, & ſtet ibi donec corpus incipiat torrefieri & rubefieri, & ſtatim exire debet, & deinde immergatur in aqua tepida, tandem inuoluatur in linteamine intincto in aqua frigida, vt nutrimentum attractum conſeruetur, deinde inungendus eſt, & cauendum ne ſudet. Si autem fiat ad macerandum, tunc fiat cibo digeſto, & ſuperfluitatibus expulſis, & ſtomacho vacuo, & poſt forte exercitium, & quod diu ſtet in aëre calido; & quod fricetur fricationibus aſperis & multis, & quod toleret quantum erit poſsibile, & poſt exitum etiam ſudet & comedat parum. Balneum autem quod fit in regimine ſanitatis, debet fieri cum aliquis fuerit exercitatus, quieſcat, deinde intret in balneum, & ſtet ibi donec incipiat calefieri, poſtea abluatur aqua calida, & poſtea exeat. Tertiò, videndum eſt de loco & modo. Locus autem vbi quis balneandus eſt, debet habere tres manſiones, quarum prima

debet esse tepida, secunda debet esse calori vicina, & tertia calida. Nunc autem cum aliquis exercitatus est, debet quiescere in prima domo, & ibidem debet expoliari, & postea intret secundam, & ibidem fricari, tãdem intret tertiam, & ibidem debet stare in aëre calido, donec corpus incipiat calefieri, & quod postea abluatur cum multa aqua, & frequenter, & postea exeat, & in exeundo debet sibi cauere, quod non exponat se aëri frigido, & potissimè caput, quod de facili incurret rheuma, & quod non accipiat aliqua electuaria, nec calida, nec frigida, nec alia huiusmodi, & quod sub pœna capitis non potet aquam frigidam, quoniam horribiliter viscera læderentur. Quartò videamus de balneo aquæ frigidæ. Nullus debet balneari in aqua frigida, nisi qui habuerit aliquam ægritudinem, aut qui sit paratus ad eam, nec aliquis debilitatus propter fluxum aut vomitum, aut coitum, [*& similibus*] nec puer vt dicit Galenus: Quod pueri non sunt balneandi in aqua frigida vsque ad XXI. annum, quoniam impediret augmentum. Senes etiam nõ debent balneari in aqua frigida, nec opilati, sed iuuenes carnosi [*fortes*] qui fatigati sunt in sole, aut in via propter calorem & laborem, in media æstate, si inuenerint flumen mundum, & quod locus non sit ventosus, nec vmbrosus, & quod stomachus sit vacuus, & quòd aqua sit calida, vel tepida, tunc talis im-

mergi

mergi debet in flumen, & natare debet ſecundum Galenum, vt frigiditate aquæ infrigidet non ſolum exteriora, ſed & interiora, quoniam pori aperiuntur ratione motus, & debet ibi parum ſtare, ſed ad hoc ſolum quod calor naturalis reuocetur, & quod corpus temperato modo induretur, & de hoc balneo facit mentionem Galenus x. de ingenio ſanitatis: & poſtea exeat & vitet laborem, & frigus, & repletionem.

DE REGIMINE CIBI.

CAP. XI.

NVLLVS DEBET SVMERE CIBVM niſi ſtomachus ſit vacuus. Cognoſcitur autem quod ſtomachus ſit vacuus, cum non præceſſit crapula, & eſt longum tempus ab acceptione cibi, & quod exercitauit ſe, & balneauit ſe, & quod appetit, & tunc illicò detur cibus, aliter ſtomachus putridis repletur humoribus, ſecundum Auicen. Et ſi ante tempus detur, eſt cauſſa febris & opilationum & apoſtematum, & ſimilium. Si igitur tempus nimis tardauerit, bonum erit ſumere oxymel & euomere, aut ſuccum malorum granatorum, & ſimilia. Cibus autem conueniens, eſt panis de tritico mundo collecto de anno fertili, nõ cor-

rupto nec Epidemiali, & quod ſit de loco alto non fimato, & quod panis ſit bene coctus, & bene fermentatus, & cum temperata quantitate ſalis, & quod ſit de vna die vel duabus. Vinum ſit clarum, mundum, citrinum, bene maturum, non nouum. Aqua ſit fontana, dulcis, munda, clara, & de loco mundo, quam ſol poſsit de mane irradiare. Carnes ſint hœdulinæ ac agni vnius anni, aut vitulinæ lactantis, aut exta porcorum, incolentium montes & nutritorum de iuglandibus [*glandibus*] vel ſint pulli aut pullæ gallinæ, perdices, ſturni, capones, phaſiani, & omnes aues campeſtres uſuales, non tamen degentes in aquis, & poteſt exhiberi in temporibus ſuis cuniculus iuuenis, & ceruus iuuenis, capreolus iuuenis. Vtatur etiam piſcibus ſquamoſis de aquis mũdis, & vtatur ouis ſorbilibus. Iſta ſunt quæ competunt communiter & realiter [*rationaliter.*] Vitet etiam omnes fructus & omnia olera, omnia legumina, & omnem caſeum, niſi illis vellet vti ſecundum medicinam, ſicut dicetur in loco ſuo. Solus autem ille eſt verus cibus, qui caret omni fortitudine, acredine, & ponticitate, & ita de alijs ſicut ſcribit Galenus ſupra Aphor. 4. Com. 13. Ad Helleboros qui non facile &c. Vitentur ergo in regimine ſanitatis omnes cibi qui habent aliquid in exceſſu. Nunc autem multa & diuerſa ſunt conſideranda circa cibi exhibitionem, quæ per ordinem

dinem consequentur. Et primùm incipiamus,

A QVALITATE CIBI.

QVI rectè vult exhibere cibum in regimine sanitatis, oportet primò considerare complexionem corporis, & complexionem cibi, & substantiam eius. Intelligendum ergo secundum quod potest elici ex doctrina Galeni 8. de ingenio, capite finali, Quòd omnis complexio, aut est temperata, aut distemperata. Si temperata, semper debent dari sibi similia. Si sit distemperata, aut est sub latitudine sanitatis, aut sub ægritudine. Si sub latitudine sanitatis, semper debet reduci ad melius, nisi occupatio in vita necessaria impediat. Si autem fuerit in latitudine ægritudinis, tunc aut incipiat reducere complexionem lapsam, aut non, & si sic, contraria debent dari complexioni & morbo, Si autem non, dentur similia complexioni, quod loco calidi naturalis & radicalis extat, & morbo dentur contraria. Sufficit enim tunc morbum reducere. Ætas autem, complexio, aut consuetudo, si fuerit temperata, semper indigent similibus, Sed regio, tempus, & aër cum distemperata sunt cōtrarijs semper indigent sicut morbus. Iuxta igitur canonem prædictum. Si complexio fuerit lapsa, dentur ei cibaria sibi contraria, & si fuerit lapsus in caliditate dentur frigida, & si

in frigiditate dentur calida, & ita de ſiccis, ſimiliter de humidis. Si autem accipiant cibaria quæ non conueniunt complexioni eorum, admiſceri debent contraria. Si ergo aliquis vtatur lactucis, & non competant ratione complexionis, accipiat eas cum cinnamomo & garyophyllis. Et ſi utatur piſcibus, & non conueniant complexioni, tunc vtatur ſalſa de ſinapi, & addat nucem moſchatam, & piper longum, & ita de alijs. Subſtantia enim cibi debet conſiderari, quod quidam cibus eſt groſſus, & quidam habet groſſam ſubſtantiam, ſicut ſunt caro vaccina, [*porcina*] & carnes animalium ſylueſtrium, & omnia indurata in ſale & conchylia, & piſces beſtiales, & panis azymus, & vinum groſſum, & carnes aſſæ ſemicoctæ, talia enim competunt ſtomacho cholerico, vbi virtus eſt fortis & calor multus. Sunt enim qui exercitant ſe in hyeme, & forti exercitatione, & multum dormiunt, & talibus etiam competunt. Si autem calor eſſet debilis, & ſtomachus debilis, & cum hoc eſſet paruum exercitium, iſta non competunt, imò eſſent multum nociua, Sed his dentur cibaria ſubtilia, ſicut ſunt pulli & pullæ, & piſces petroſi, oua ſorbilia, ſpinachia, & vinum ſubtile, & panis bene fermentatus, & ſimilia. Iſta autem corrumperentur in ſtomacho forti & calido, & ſi ſtomachus, & virtus, & exercitium, & tempus medio modo ſe habeant, diætentur mediocri-

diocriter, ſicut ſunt gallinæ, perdices, & caro annualis agni, & ſimilibus.

DE QVANTITATE CIBI.

NVLLVS audeat ſumere cibum in tanta quantitate quòd aggrauetur ſtomachus, aut mutetur anhelitus, aut omnino ſedetur appetitus, imò debet ceſſare antequam ſedetur appetitus, quoniam poſt modicam moram ceſſabit, ſicut dicit Auicenna. Sed qui exercitio vtitur [*modico*] vehementi & eſt rarus, minora mala patietur, Qui autem continuauerit, morte ſubitanea morietur, aut malis ægritudinibus capietur, licet cibus de ſe eſſet optimus, quoniam ratione indigeſtionis corrumpitur. Si autem cibus fuerit calidus, incurret febrem & apoſtemata, & ſi frigidus, incurret artheticam & oppilationem, & ſi melancholicus maniam & lepram, & ita de alijs. Si autem fuerint varij & diuiſi, incurrét in hemitritæum & febres erraticas. Caueatur igitur ſumma diligentia, vt ſtomachus cibis & potibus non repleatur, ſi autem per infortunium acciderit, ſtatim euomatur. Accipiat igitur calidam cum oleo & ſemine attriplicis & euomat, & ſi non poteſt euomere, ſtet ſuper pedes ſuos longo tempore, deinde dormiat. In hoc ergo caſu ſecundum Galenum 12. partic. de ingen. cap. 2. Competit ſomnus vt cibus digeratur, & vigiliæ, vt ſuperfluum expellatur. Si autem dormire non

poteſt, incedat ſuauiter multo tempore, & non accipiat nec cibum nec potum de 24. horis, deinde accipiat brodium gallinæ cum modico panis, & vno hauſtu vini puri odoriferi. In tertia die exercitet ſe fortiter & balneetur, deinde parum comedat & deinde dormiat, & utatur electuario quo vtitur Gal. in de regimine ſanitatatis in crapulatis, & eſt diatrion pipereon.

DE ORDINE CIBI.

CIBORVM quidam eſt lenitiuus, quidam ſtipticus ventris. Lenitiuus vt ſunt ſpinachia, violaria, mercurialis, malua, pruna, ceraſa dulcia, vuæ, ficus, & ſimilia. Quidam autem ſunt ſtiptici, ſicut ſunt pyra, cotonea, meſpila, & ſimilia. Item, ciborum quidam ſunt facilis digeſtionis, ſicut piſces ſquamoſi de locis petroſis, oua ſorbilia, & brodium, & iuſcula. Et quidam ſunt duræ digeſtionis, ſicut conchylia & panis azymus. Item ciborum quidam eſt ſubtilis ſicut pullus & pulla, vinum ſubtile, lac, & ſimilia. Et quidam eſt groſſus ſicut caro vaccina & aſſaturæ, & ſecundum hoc triplex datur regula.

PRIMA regula. Quoniam ſuppoſito quod duo cibaria competant in eadem menſa, vt lubrica lenitiua & ſtiptica, lubrica debent præcedere, niſi fortè pateretur ventris lenitatem, quoniam ſtiptica tunc deberent præcedere..

Secun-

SECVNDA Regula. Quoniam ſi competant ea quæ ſunt facilis digeſtionis, & ea quæ ſunt duræ digeſtionis, tunc illa quæ ſunt facilis digeſtionis, debent præcedere niſi fortè præceſſerit labor violentus & fortis, & quod ſtomachus ſit fortis & calidus, quoniam piſces corrumpuntur & ſimilia facilis digeſtionis, quorum tunc debent præcedere ea, quæ ſunt duræ digeſtionis.

TERTIA Regula. Quoniam ſi competant ſubtilia & groſſa, ſubtilia debēt præcedere, niſi fortè ſtomachus eſſet multum vacuus, & quod aliqualis mora eſſet inter primum & ſecundum. In tali enim caſu ſicut dicit Auicenna, ſtomachus amplectitur ſubtilem ratione inanitionis, ita quòd poſtea repudiat groſſum, & tunc groſſus debet præcedere. Regulariter tamen leuiora præcedere debent, & iſta eſt ſententia Galeni in regimine acut. in tertia parte ſuper illam partem, poſt ptiſanam. Ad intellectum tamen prædictorum canonum, intelligendum iuxta doctrinam Galeni in de regimine ſanitatis, Quoniam in eadem menſa nunquam competunt duo cibaria, & imò ipſe erat contentus pane ſolo de mane, & de ſero ſolis carnibus, quando autem duo cibaria capiuntur in eadem menſa, tunc malum eſt in ſe, & malum eſt in relatione vnius ad alterum. In ſe, quoniam natura laborat in digerendo ſubtile aliter, & aliter in digerendo

groſſum,-

groſſum,& ita de alijs,& cum hoc in relatione, quoniam ſi cibus ſubtilis præcedat, citò digeritur, & trahit ſecum groſſum indigeſtum. Si groſſus præcedat, tunc ſubtilis, cum erit digeſtus corrumpetur, quod non habebit exitum, & ita quocunq; modo fiat, ſemper malum, tamen maius malum eſt, quando ſubtilis ſubſequitur, quoniam corruptus nunquam rectificatur, per ſubſequentia, quoniam tranſmutatio eſt facta ad aliam ſpeciem, ſed cruditas eſt citra ſpeciem, & imò quodammodo eſt rectificabile. Minus igitur malum eſt, quod ſubtile præcedat, quoniam cibus ſubtilis debet præcedere. Et in hoc cõuenit Auicenna cum Gal. Tamen ſanè intelligendum eſt, quod ſtomachus habet duas partes, ſcilicet, inferiorem carnoſam & calidam, & ſuperiorem pelliculoſam ſiue panniculoſam & frigidam, per quam fit appetitus. Nunc autem ſi cibus groſſus eſſet in fundo, tunc haberet obiectum proportionale,& ita digereretur groſſum per fortem calorem, & quia ſubtilis cibus non indiget forti calore, imò benè eſſet cibus ſubtilis in parte ſuperiori ſtomachi, & ita bona eſſet proportio, quod groſſum deberet præcedere. Intelligendum hìc, quod natura ſtomachi exquiſitè cognoſci nõ poteſt, nec quantitas [*offerendorum*] conferendorum certis literis denotari poteſt, & quod in ſtatera cibum proportionaliter ſtomacho ſecundum ſuperius & inferius ponere

nere non poſſumus, nec certitudinem habere poſſumus: ideo iſtam viam ſequi non poſſumus, quod hoc non poſſumus exquiſitè ſcire, nec ex parte ſtomachi, nec ex parte cibi, quare ſic procedere non poſſumus, quoniam optima eſſet exhibitio, quando oportet ſequi minus periculoſum, & in hoc conueniunt omnes patres noſtri. Intelligendum etiam quod ſummè corrumpitur digeſtiua, quando crudum ponitur ſuper ſemicoctum, quoniam crudum expellit aliud, & ita totum corrumpitur. Et ita videmus communiter, quod iuuenes errant in hoc, aſſumunt enim de mane cibum, & poſt in tertijs antequam primus poſsit eſſe digeſtus replent ventrem, vnde innumerabiles languores eis proueniunt, & cum hoc diuites totum mundum corrumpunt, ſcilicet, primò ſe ipſos. Primò enim dabunt aſſa, alij carnes vaccinas, alia mutonum aſſas, poſtea brodium gallinæ cum gallinis, & ita vt plurimum præmittunt groſſum, & ſubtilem poſtponunt, & cum hoc in principio dabũt caules cum carnibus groſſis, & in fine pullos, & ita totum corrumpitur, & non ſolum in hoc, ſed in multiplicatione ferculorum, & longa confabulatione in menſa, & in longiſsima mora de cibo ad cibum in eadem menſa. Corrumpitur etiam cibus multis alijs modis, quoniam cum fructus deberent præcedere cibum ipſi poſtponunt, & cum hoc in eadem menſa comedunt, lac, piſces, aceto-

ſa, riſi, & frumentum coctum, & iſta ſunt deteſtabilia ſecundum Auicen. MODVS autem comedendi debet eſſe iſte, quod hodie comedat homo bis, & cras ſemel, & ita deinceps, ita quod ſi accederet error, in bis comedendo, rectificaretur in craſtinum per ſemel, & ſi eſſet error in comedendo ſemel, rectificaretur in craſtinum per bis, & ita quotidie fieret rectificatio vnius per alterum. Et teſtor Deum illud deterrimum eſſe, cum quis ſumit cibum in ſtomachum nauſeam facientem & faſtidium, quoniam mala morte & ſubitanea moriuntur plerunq;, ſimiliter qui ſumit cibum, cum patitur dolores & torſiones in inteſtinis. & eſt memoriæ commendandum, quod vniuerſaliter hominibus ſtudioſis & in ocio viuentibus melius eſt quod nutriâtur cibo ſubtili quàm groſſo, & eſt intentio Auicen. Aduertendum tamen quod diæta non ſit nimis ſubtilis, quoniam virtutem abijcit, iuxta illud Hipp. Aphor. primo. Tenues & certæ diætæ &c. Et de hoc fiet mentio inferius.

DE TEMPORE SVMENDI CIBVM.

IN tempore hyemali, & in regione frigida, homo qui eſt ſanguineus de complexione, & non eſt nimis rarus, & eſt fortis corpore, debet ſumere multum cibum & groſſum, quoniam tunc calor eſt fortis propter reuocationem ſui

ad in-

ad interiora, & hoc eſt quod ventres hyeme & vere calidiſsimi ſint &c. teſte Hippocrate, & experimentum docet in corporibus fortibus hoc eſſe verum, & hoc eſt digniſsimum omni ratione. In æſtate autem debet fieri totum contrarium, quoniam calor eſt debilis propter reſolutionem factam à calore exteriori, & hoc eſt quod Hipp. dicit, Æſtate & autumno cibos grauiſsimè ferri. Intelligendum tamen quod nullus debet ſumere cibum poſt balneum & exercitium, niſi prius quieſcat, ſicut ſuperius dictum eſt. In æſtate igitur vergant cibaria ad frigiditatem, & in hyeme ad caliditatem.

DE CIBO DESIDERATO.

ISTE canon valet in tempore ſanitatis, & in tempore ægritudinis: Si enim ſunt duo cibaria quorum vnum eſt optimum, & aliud minus bonum: & cibus minus bonus deſideratur & appetitur, talis cibus [*citius*] debet concedi quàm alter qui melior eſt: quoniam quod melius ſapit melius nutrit, ſecundum Auicen. Et ratio dictorum eſt, quoniam cibus qui [*appetitur &*] accipitur cum delectatione, amplectitur à ſtomacho, & comprehenditur, & diu retinetur, & imò melius digeritur, & ille qui melius digeritur, magis eſt iuuatiuus, alter autem qui non appetitur, ſumitur cum quodam faſtidio, & imò nequaquam tam bene digeritur: & hoc eſt quod dicit Hipp. Cibus & potus

tus deteſtabilior &c. Cauendum tamen ne ſit enormis appetitus, ſicuti eſt aliquando in mulieribus prægnantibus. Cauendum eſt etiam & potiſsimè in morbis, quòd appetitus cibi illius non multum diſtet à bono, quoniam ſi patiens appeteret plus allia quam lactucas, non propter hoc illud eſſet concedendum. Similiter & in ſanitate, ſi plus appeteret carnes mutonicas quam gallinas, mutoninæ eſſent concedendæ, ſed ſi ibi eſſet multa diſtantia, non. Et imò dicebat Hipp. parum deterior, &c.

DE EXHIBITIONE CIBI PER COMPARATIONEM AD MEMBRA.

ALIQVI enim ſunt qui habent aliqua membra debilia, & parata alicui ex morbis. Si ergo aliquis de facili incurrat dolorem capitis & caliginem oculorum, tunc non ſumat piſces, allia, cepas, nuces, & vinum forte, & omnia fumoſa fugiat. Aliqui autem de facili incurrũt tuſsim & ſtricturam pectoris, vitent ergo acetoſa, & ſalſa, & ſtiptica. Aliqui ſunt qui de facili incurrunt nauſeam, propter mollificationem ſtomachi, vitent igitur pinguia & butyrum, & oleum ſeſaminum, & ſimilia. Quidam ſunt habentes ſtomachum valde calidum, vtantur igitur perſicis & perdicibus ſemicoctis. Alij ſunt, in quorum ſtomacho cholera aggregatur, vtantur ergo malis granatis. Et in quibuſdam

busdam dominatur phlegma, vtantur assis & frixis. Et in quibus dominatur melancholia, vtantur borraginib. buglossa & melyssa. Et qui habent frigidum epar, vitent omnia viscosa, grossa, & frigida. Et qui calidum, vtantur endiuia. Et qui habent ventrem constipatum, vtantur casia fistula in principio mensæ, Item prunis, & similibus. Et qui laxum, vtantur citonijs ante cibum. Et qui paratus est ad colicam, vitet omnia legumina. Et qui ad lapidem & artheticam, vitet omnia diuretica. Secundum igitur, quod aliquis est paratus ad aliquam ægritudinem, secundum hoc, vtatur illis quæ confortant illud membrum, & vitet omnia quæ membro nocent, & ægritudinem generant.

DE CONSVETVDINE.

MAGNAM vim habet consuetudo, sicut scribitur ab Aristotele 2. Meth. Et imò Hipp. 2. reg. acut. can. 20. dicebat. Mala nanq; diæta cibi & potus, quando secundum simile fit, securior est in omni tempore sanitatem tueri, quàm ea quæ melior est si in ea subita mutatio fiat. Et hoc est quod dicit Galenus: Quoniam consuetudo est altera natura. Et in hoc conuenit Auicenna cum dicit: Experimentum in hoc vincit rationem, quoniam malus cibus usitatus, melior est bono non usitato, quinimo diligentisimè ad consuetudinem est aduertendum.

tendum. Iuxta igitur prædicta intelligendum, quoniam quidam consueuerunt comedere grossa cibaria, & optimè viuunt cum eis sicut eis videtur. Et alij comedunt vulpes & carnes sicut dicit Galenus in 3. de alimentor. facultatib. capite 2. versus finem. Et aliqui vtuntur cibis subtilibus, & accipiunt pharmaciam vt præseruentur à morbis. Et aliqui sunt cholerici qui vtuntur cepis & allijs, & pipere. Et aliqui phlegmatici, qui vtuntur piscibus & carnibus porcinis. Et aliqui sunt melancholici, qui utuntur carnibus bouinis, leguminibus, & caulibus & caseo. Et aliquæ sunt quæ parum comedũt in tempore sterilitatis. Aliquæ quæ multum tempore fæcunditatis. Aliqui bis comedunt in die, alij semel tantum. Aliqui de mane, alij verò de sero. Istæ diuersitates sunt multæ valde in cõsuetudine: quoniam aliqui stant in montibus & assuescunt res salsas. Aliqui in vallibus, & vtuntur fructibus. Et aliqui in mari, qui utuntur leguminibus cum aceto & carnibus salsis, & aqua mala. Et aliqui in paludibus, & vtuntur anguillis. Et aliqui sunt fabri, alij piscatores, quidam scriptores, milites alij, studiosi, aliqui vigilatiui, alij somnolenti. [*somniculosi*] Et ita quilibet accipit suam consuetudinem in cibis & potibus iuxta naturas suæ ætatis, regionis, temporis, & ita de alijs particularibus, quoniam aliqui vtuntur diæta temperata, & consimiliter. Intelligendum ergo sanè

iuxta

iuxta prædicta, quod omnis consuetudo quæ ex longo tempore habetur, siue sit bona, siue sit mala, est seruanda, & in tempore sanitatis, & in tempore ægritudinis: Cuius ratio est, quoniam cõsuetudo stat loco naturæ, & quod naturalia sunt obseruanda, imò consuetudo est obseruanda. Si autem debeamus transmutare consuetudinem, oportet quod fiat paulatiuè, quod omnis subita mutatio nocet, secundum intentionem Hipp. & potissimè in consuetis. Si igitur aliquis vtatur cibo temperato & laudabili, mutetur paulatiuè ad vtendum aliquando grossis cibis, aliquando subtilibus, quoniam qui in [*vna*] consuetudine stat in dubio moratur, sed tamen magis utatur temperatis, & de alijs parum & paulatiuè, vt non fiat subita transmutatio. Si autem assumat aliquis cibaria grossa licet bene digerantur in stomacho, in venis tamen non est possibile secundum Auicennam. & imò paulatiuè est transmutandus ad cibum temperatum. Si autem aliquis fuerit assuetus feralia, inprimis utatur bonis cibis in parua quantitate, ita quod hodie sumat multum de illis prauis cibis & parum de bonis, & cras addat aliquantulum bona cibaria, & minuat mala, & ita deinceps donec veniat ad temperamentum. Et est hic intelligendum, quod multi sunt qui vtuntur non solum malo regimine in cibis & potibus, & alijs, sed etiam pessimo & bene est eis, bene dige-

runt aut ratione ætatis, aut ratione consuetudinis, aut regionis, & gaudent multum in tali regimine, & derident medicos & alios qui bono regimine vtuntur. Et sententia data est contra eos: Non gaudeant malo cibo vtentes, quoniam si in præsenti non læduntur, in posterum percussionem non euadent. Aliqui autem sunt qui vtũtur pullis, & in parua quantitate, & non cœnant, & accipiunt pharmacias, & credunt inter omnes optimè præseruari, & isti inter omnes pessimè faciunt: quoniam virtus est quæ curat morbos secundum Gal. in de crisi, & tamen ipsi abijciunt virtutem, & tamen sublimior considerationum sumitur à virtute, secundum Gal. 1. reg. acut. Subtilis autem diæta abijcit virtutem, & imò dicebat Hipp. 1. Aphor. In tenuibus diætis peccant ægrotantes &c. Difficile enim est istos reducere, quia virtus regitiua est multum debilitata. Nihilominus paulatiuè reducatur sicut erit possibile, & nullo modo subit quod omnis subita mutatio nocet maximè in virtute debili. Aliqui enim sunt cholerici, qui vtuntur cibis calidis, & male faciunt, quoniam cholera augmentata caussabit febres, aut apostemata, aut leoninam, paulatiuè ergo reducatur cum lactucis, malis granatis, portulacis, & similibus. Sunt etiam aliqui phlegmatici, qui vtuntur cibis frigidis & liquidis, & isti incurrunt hydropisim [*cacochymiam*] cahexiam, transmutentur

igitur

igitur paulatiuè ad frixa & aſſa. Sunt alij melancholici, qui vtuntur cibis melancholicis, & tales non euadent maniam,melancholiam,aut lepram, aut ſimilia. Paulatiuè igitur tranſmutentur ad borragines,& gallinas. Alij autem ſunt, qui parum comedunt ratione ſterilitatis aut ſubtilitatis, aliqui multum ratione fertilitatis, & vtrobiq; eſt error. Nihilominus qui volunt aut debent tranſmutari paulatiuè tranſmutentur. Et de hoc dicit Auicenna: Quoniam licet quælibet tranſmutatio ſit mala, peior tamen illa in qua fit tranſmutatio à ſterilitate ad fertilitatem, & imò videmus in guerris, quod cum veniunt ad loca fertilia homines, citius moriuntur aut infirmantur propter nimiam repletionem, contra quando fit econuerſo. Vtrunq; igitur paulatiuè reducatur, & magis paulatiuè quando conſuetudo fuit longior. Et aliqui ſunt etiam qui comedunt bis in die,& tale regimen ſatis eſt conueniens,tamen ſi longo tempore aſſueuerunt tranſmutentur paulatiuè, ſi placet eis tranſmutatio. Sed in ſemel comedendo [*ſæpe*] forte eſt error, & imò ab illa conſuetudine paulatiuè tranſmutetur. Aliqui autem ſunt, qui maiorem comeſtionem de mane ratione tamen conſuetudinis longe tolerabilius eſt, ſicut communiter faciunt diuites in villis,& prælati,& ſtudioſi,& conſimiles, tamẽ ſi velint tranſmutari paulatiuè tranſmutentur. Sed illi qui conſueuerunt maiorem

commeſtionem ſumere de ſero melius digerunt, quoniam naturaliter maior cibus deberet ſumi de nocte, & ratione quietis, & ratione frigiditatis noctis, & ratione longi ſomni, tamen qui volunt tranſmutari, paulatiuè tranſmutentur. Intelligendum tamen, quod illis qui de facili incurrunt rheuma, multum nocet cœna, & potiſsimum cœna tarda de nocte, uel verſus noctem: quare in talibus eſſet bonum conſilium quod nunquam cœnarent, aut ſaltem parum, & ante occaſum ſolis. Aliqui autem ſunt, qui conſueuerunt comedere olera, ſicut ſunt bleta, ſpinachia, caules, & ſimilia, & eſt intelligendum, quod talia nunquam deberent ſumi, niſi in via medicinæ, aut ad laxandum [*ventrem*] aut alterandam aliquam malam complexionem, quoniam generant ſanguinem aquoſum, aut vt parum nutriretur. Nihilominus paulatiuè fiat tranſmutatio. Sunt etiam aliqui, qui conſueuerunt comedere fructus, & peſsimè faciunt, quod nunquam deberent ſumi, niſi in via medicinæ vt laxarent, ſicut pruna & ceraſa dulcia, aut vt alterent ſtomachum calidum, ſicut perſica, aut vt conſtringerent, ſicut citonia ante cibum, & ita de alijs intentionibus, quoniam humor inde generatus de facili corrumpitur. Conſuetudo autem eſt varia & diuerſa ſecundum diuerſitatem climatum & regionum, & montium, & vallium, maris, ſtagnorum, artium & officiorum.

rum. Et datur Regula in omni agibili, quoniam omnis mala consuetudo reducenda est, scilicet paulatiuè, quoniam tales terminum vitæ sibi imponunt quæcunq;, & vbicunq; fuit illa mala consuetudo. Et sic est finis aurei capituli.

DE POTV AQVAE ET VINI.

CAP. XII.

ELIGATVR AQVA MVNDA ET clara priuata ab omni alieno sapore, sitq́; fontana, & currat versus orientem, & sol percutiat de mane ostium fontis, & currat super arenam mundam, & hauriatur longè ab ostio fontis,vt poßit esse mundata ex virtute solis & stellarum, Et si non inueniatur talis aqua, eligatur aqua magnorum fluminum, & hauriatur de loco vbi magis currit vel fluit cum impetu versus medium, & teneatur semper per quinq; dies in diuersis vasis, & postea sit vsus & sic deinceps. Et si talis non inueniatur, accipiatur aqua puteorum, & quod sit bona ad parandum legumina. Aqua autem stagnorum & paludum, & lacuum est pessima, aqua verò niuis adhuc deterior, imò etiam qui assuescit aquæ bonæ sed niue infrigidatæ, incurret in catarrhum, vertiginem, sputum sanguinis, &

artheticam. Multum enim nocet ſtomacho & epati, niſi complexio fuerit ſanguinea valde. Aqua autem ciſternarum, non eſt multum bona, quod heterogenea eſt, & de facili putreſcibilis: Loquamur ergo hic de optima aqua, & ſit Regula talis, quod nullus audeat bibere aquam ſtomacho vacuo, nec poſt coitum aut magnum laborem, aut exercitium, niſi quieuerit, nec etiam de nocte, potiſsime incrapulatus, quoniam longus ſomnus eſt cura [*ſitis*] ſua. Si autem ſitis eſſet vehemens, & cum inquietudine, accipiat vinum cum aqua tepida, aut cum aqua multum zaccharata, aut cum modico mellis, vel cum iulebis, & ſi omnia deficiant, ſorbeat aquam cum vaſe ſtricti orificij quaſi lambendo, & in parua quantitate, aut gargarizet aquam frigidam, Aut teneat fruſtum pomi in ore inciſum cũ latitudine tenui. Ad vltimum autem accipiat vnum magnum hauſtum aquæ calidiſsimæ quantum poterit tolerare, & iſte potus ſedabit ſitim mendoſam quæ proueniebat à phlegmate ſalſo. Aliter bibens aquam ſtomacho ieiuno & vacuo maximum incurret nocumentum, niſi ſtomachus antè & epar eſſent calida. Nullus potet aquam in menſa quod impedit digeſtiuam. Oportet igitur vt cibus contingat latera ſtomachi, & potus facit fluctuari. Si autem contingat aut cogat neceſsitas, accipiat modicum aquæ frigidæ, ita quod ſufficiat ad ſedandam ſitim, ſed

cibo

cibo digesto in stomacho potest accipere ad sufficientiam.

DE VINO.

VINORVM quædam sunt noua, & ista sunt calida in primo gradu, quædam antiqua, & ista in tertio, & quædam sunt media, & ista in secundo gradu calida: Vina autem antiqua parum valent in via medicinæ, vína noua, nec in via cibi nec medicinæ ualent, vina autem media sunt bona, & in via potus & cibi & medicinæ. Primum enim competit calidis, quod choleram per vrinam euacuat, & humidis, quòd humiditatem temperat & maturat, & frigidis, quod ad temperamentum reducit, & siccis, quod humectat & lætificat, & ita competit omni complexioni, sed omni ætati non competit, quoniam dare vinum pueris est addere ignem igni, scilicet, quod dicit Auicenna. Et quantum senes iuuantur tantum læduntur pueri, secundum Galenum. Vinum igitur temperatè sumtum, sicut & ubi oportet fortificat virtutem naturalem, vitalem & animalem, & imò summè lætificat, & audaciam inducit, Sed quantum iuuat si temperate sumatur, tátum nocet & plus si intemperatè sumatur, quoniam in stomacho cholerico vertitur in choleram: In frigido in purum acetum, & imò inducit paralysim & spasmum, & qui habent cerebrum debile de facili inebriantur.

Inebriatio autem accidit aut quod cerebrum eſt debile, aut vinum nimis forte, aut quod ſtomachus eſt vacuus, aut quod ventriculus humore eſt nimis repletus. Quinimò hæc datur regula. Quod nullus audeat ſumere vinum ſtomacho vacuo, niſi accipiat modicum panis, aut alicuius electuarij confortatiui. Nullus etiam qui habet caput debile, audeat vinum potare, niſi in parua quantitate, & cum multa aqua, & imò talis cum eſt in conuiuijs, ſi aliter non poteſt cuſtodire, ſaltem accipiat poſt cibum pyra, aut cotonea, aut truncum, vel ſemen caulis. Et ſi per infortunium accidat ſibi ebrietas, cum ſentit linguam titubare, recedat & euomat, & fricentur ſibi extrema cum ſale & aceto, & teſticuli, & mulieribus mamillæ, & abluatur & irroretur facies aqua frigida, & inungatur caput cum oleo roſaceo, & ſtet per totum illum diem ſine potu & cibo, & in craſtinum balneetur & exercitetur, & tardè comedat & parum, & cibaria facilis digeſtionis. Et imò nullus catholicus ſcienter inebrietur, quoniam licet ſequatur vomitus & ſudor, tamen magnum periculum eſt quod incurrat apoplexiam, aut epilepſiam, aut ſuffocationem, & imò infiniti modi ſunt meliores ad purgandum corpus quam ille, quod ille modus purgandi eſt ſicut naufragium, & imò eſt totaliter contra Deum & contra rationem. Calidi ergo de complexione ſumant vinum album in co-

lore,

lore, & ſubtile in ſubſtantia, & cum temperata quantitate aquæ, quoniam iuuamenta vini non ſunt niſi in corpore temperato aut frigido. Nullus igitur poſt coitum aut laborem nimium accipiat vinum, niſi quieuerit, & quod accipiat aliqua quæ ſtomachum confortant. Præterea intelligendum quod quando nos loquimur de vino, intelligimus optimo, ſcilicet quod non ſit vinum album, ſubtile, debile, viride, ſicut ſunt vina quæ creſcunt in Francia & montanis, & quod nõ ſit vinum Græcum, nec de Marchia, nec de Cypro, nec ſit vinum antiquum, nec nouum, ſed ſit vinum citrinũ in colore, medio cre in ſubſtantia, odoriferum, bene maturum, qualia ſunt quæ creſcunt communiter circa Montem Pelum, & vt plurimum in tota prouincia Narbonenſi, & talia non ſunt in diuerſis gradibus, ſicut fecimus mentionem de hoc in libello noſtro de gradibus verſus finem &c.

DE SOMNO ET VIGILIA.

CAPVT XIII.

HIPPOCRATES LOQVITVR DE ſomno in Prognoſticis, cum dicit, Somnus vt moris &c. bonus & naturalis eſt, quod noctem non effugit, & diem non impedit. Naturaliter ergo nullus debet dormire de die, ſed conſue-

tudo

tudo fecit vt plurimum contrarium, quoniam non ſolum diuites dormiunt de die, ſed etiam alij, Tolerari igitur poteſt in conſuetis, quoniam conſuetudo eſt altera natura. Deſcribitur autem ſomnus ſic à Gal. in eodem capitulo. Somnus quidem naturalis abſolutè, eſt, cuius reditus cum profundatione ſpiritus vitalis ad interiora eſt, vt digeratur cibus. Multum ergo valet ſomnus in digeſtione cibi, & hoc eſt quod dicit Galenus ſuper illo Aphor. Ventres hyeme & vere, &c. dicit enim quod natura iuuatur ex ſomno bonum eſt perpendere. Somnus igitur eſt quies animalium cum [*fortificatione*] intentione naturalium. Somnus autem multùm competit ſenibus cum humectet, & imò dicit Auicenna: quod Galenus conſtitutus in ſenectute comedebat lactucas cum aromatibus vt melius dormiret. Somnus autem non competit corpori inanito, quoniam calor conſumeret humiditates naturales, niſi forte cum medicina laxatiua nimis ducit, vt conſtringatur & natura recreetur. Poſt nimiam repletionem non competit ſomnus ſaltem immediatè, quoniam timendum eſſet de ſuffocatione. MODVS autem dormiendi eſt iſte, cum aliquis ſumſit cibum, debet ſtare aut ſuauiter deambulare, donec cibus deſcendat ad inferiora ſtomachi, & poſtea dormiat. Et primò debet dormire ſuper partem [*epatis*] dextram, ſecundo ſuper ſiniſtram, & iterum debet

reuerti

reuerti ad dextram, & ibi quiescere. Et iacere etiam super ventrem dummodo tamen anhelitus non aggrauetur. Sed nulla via nec ullo modo debet aliquis super dorsum dormire, quoniam retinentur superfluitates, & ita paratur ad pessimos morbos, quanto igitur cibus fuerit grossior, & in maiori quantitate, tanto somnus debet esse profundior & prolixior: Et quanto cibus fuerit paucus & subtilis, somnus debet esse breuis & leuis. Vigiliæ autem potissime superfluæ non competunt nisi tempore sanitatis, quoniam calefaciunt & desiccant. Somnus igitur nimis longus aut nimis breuis, corpus extenuat & corrumpit.

DE COITV.

CAP. XIIII.

COITVS NON EST LICITVS NISI gratia prolis. Nullus igitur inanitus audeat coire aut nimis repletus. Et cum hoc nullus audeat attentare post nimium ieiunium, aut post phlebotomiam, aut post pharmaciam, aut post balnea, aut post nimium laborem, aut post accidentia animæ in excessu. Et breuiter, post aliquam rem corpus extenuantem. Sed qui apti sunt ad generandum sunt calidi & humidi, & potissime qui habent complexionem testiculorum calidam & humidam. Nullus autem cho-

tem cholericus, aut melancholicus, aut extenuatus audeat se cogere ad coitum, & si fecerint, tum nimium vitæ suæ imponunt, secundum Galenum. Coitus igitur fiat post cibi digestionem, & superfluitatum expulsionem: Et mulier debet dormire resupina coxis extensis & coniunctis [*& ita fiet conceptus.*] Si autem alicui accidet tantum infortunium, quod vsus fuerit nimio coitu, aspergatur tota facies, & pedes, & manus, cum aqua ros. moschata, & vtatur brodio gallinæ & gallina postea, Et vtatur vitulo lactante, & ouis sorbilibus, vtaturq; isto electuario.

Recipe diamargarit. diacameron, dianthos cum musco, diarrhod. abb. draganth. frig. zucc. ros. ana quartam vnam, misceantur. Et suffumigentur cum ambra, ligno aloes, Alipta moschata, Gallia moschata, & consimilibus odoriferis. Et dicit Constantinus, quod balneetur in aqua frigida.

In tempore autem pestilentiali, non competit coitus. Quibus autem licentia ex lege coeundi data est, gratia prolis cum omnia interiora & exteriora conueniunt in temperamento, & tunc etiam non excedant, imò per tanta interualla, quod corpus sentiat se alleuiatum. Et si contingat error, est minor in corpore repleto quam in inanito, & in calido quam frigido.

DE ACCIDENTIBVS ANIMAE.

CAP. XV.

INTER ILLA QVAE MIRIFICE conſeruant ſanitatem corporis & animæ, eſt, quod in omnibus actibus ſuis homo ſciat temperare ſe in accidentibus animæ, ſcilicet quod pro aliquo vituperio non indignetur, nec pro amiſsione alicuius rei temporalis, nec pro morte alicuius, nec pro carcere, nec pro exilio, nec pro aliqua re, quod etiam non iraſcatur, nec timeat, nec triſtetur, nec doleat, nec lugeat, nec alicui [*ſine rationabili cauſſa*] inuideat, nec terreatur, nec detrahat, ſed cum ſumma patientia hoc ſuſtineat. Similiter nec pro aliqua re lætificabili, vel proſpera, vel quacunq; ſucceſſione bonæ fortunæ non nimis gaudeat. Omnia enim iſta cum ſunt in exceſſu, corpus extenuant & diſſoluunt, quoniam corpus ſequitur animam in ſuis actionibus, ſicut anima corpus in ſuis paſsionibus. Vitetur ergo ira & ſollicitudo & triſticia, quoniam febrem inducit, phthiſin, & mortem ſubitaneam, ſicut timor, gaudium nimium cum venit ſubitò, mortem ſubitam inducit, ſecundum Gal. in de morbo & accidenti. Intelligendum tamen, quod gaudium temperatum competit omni ætati, & omni complexioni & omni homini, niſi quando non vult impinguari, quoniam gaudium temperatum impinguat, ſecundum Auicen.

DE DISPOSITIONE CORPORIS LABORIOSI, ET DE CVRA EIVS.

CAP. XVI.

SPECIES AVTEM LABORIS, DOloris, ſeu laſsitudinis, multæ ſunt, ſicut eſt dolor vlceratiuus, tenſiuus, grauatiuus, apoſtemoſus ſeu inflammatiuus, & labor deſiccatiuus, & ſpecies compoſitæ ex his. Labor autem vlceratiuus appellatur, quando videtur homini quod pungatur cum acubus, aut ſpinis, aut vrticis, hoc autem fit propter humorem acutum, pungitiuum, ſicut eſt cholera quæ pungit ratione acuitatis, aut melancholia ratione acetoſitatis, aut phlegma ratione ſalſedinis, & iſte dolor fit ratione malæ qualitatis. Dolor autem tenſiuus eſt, quando videtur homini quod brachia & totum corpus ſunt tenſa ad modum chordæ arcus, & hoc eſt propter materiam multam imbibitam in membris ſenſibilibus, ſicut ſunt nerui, lacerti, & muſculi, imò vix audet halitare, aut oſcitare ratione nimię repletiōis factæ in membris ſenſibilibus. Dolor autem grauatiuus eſt, quando videtur homini, quod prematur & grauetur ſicut ſi à ſarcina comprimeretur. Et hoc eſt propter humores groſſos, viſcoſos multos, abundantes in membris non ſenſibilibus. Dolor au-

lor autē apoſtemoſus eſt vel inflatiuus, quando homo ſentit ſe doloroſum & inflammatum, & ita quod vix ſuſtinet quod tangatur, & ſentit frequenter quandam inflammationem in ſpatulis, hoc autem fit propter humores multos & malæ qualitatis exeuntis. Sunt etiam aliæ diſpoſitiones malæ, ſicut ſunt oſcitatio, halitatio, horripilatio, rigor, tremor, ad quæ citò ſequuntur feb. Eſt etiam alia diſpoſitio, quæ appellatur labor deſiccatiuus, in qua non eſt dolor, nec alia fatigatio, niſi quod cutis ſi tangatur eſt aſpera, & videtur ſibi quod conſumatur & deſiccetur corpus, hoc autem fit propter nimiam abſtinentiam, ac laborem nimium, & ita de alijs quæ corpus extenuant aut terminant. Cauſſæ enim iſtorum omnium ſunt duæ, aut extrinſecæ, aut intrinſecæ. Si extrinſecæ, ſicut ſunt nimium exercitium, in nimio enim exercitio liquefiunt & diſſoluuntur humores, & adeps aut pinguedo, & caro nouiter coagulata, & iſta vadunt ad membra ſenſibilia vel inſenſibilia, & inducunt diuerſos modos laſsitudinis, ſecundum quod currunt ad interiora, vel exteriora, vel ad membra ſenſibilia, aut inſenſibilia, vel ſecundum quod ſunt malæ qualitatis ac minimæ quantitatis. Et hoc idem facit balneum, caliditas ſolis & ignis, & frigiditas aëris, & fricatio nimia, & coitus, & omnia alia, quæ ab extra corpus ſunt aggrauantia. Si intrinſecæ

ſunt cauſſæ, tunc fit ex humoribus abundantibus, quos natura mittit ad membra extrinſeca, aut ratione malæ qualitatis, aut ratione nimiæ quantitatis, aut vtriuſq;. Signa ſunt hæc. Si autem cutis vergat ad albedinem, tunc materia eſt phlegmatica, ſi ad liuorem, melancholica, ſi ad citrinitatem, cholerica, ſi ad rubedinem, eſt ſanguinea. Secundum enim Galenum, Color corporis dominium oſtendit humoris, niſi in profundo corporis occubuerit, primo Aphor. ſuper illo Aphor. In perturbationibus ventris, &c. Nunc autem humores reuertuntur ad interiora propter timorem, triſticiam, verecundiam, & ſimilia, & mittuntur ad exteriora propter iram, ſudorem, furorem, & ſimilia, & in talibus ſumtum ſignum à colore cutis, non eſſet certum. Cognoſcitur etiam humor peccans per quandam coniecturam ſumtam à regimine, & diæta & temporibus anni, & ſimilibus. Si igitur aliquis fuerit cholericus, & tempus calidum, aut aſſueuit cibaria calida, & laborauit, deinde incurrat laſsitudinem, ſatis videtur rationabile, quod humor faciens laſsitudinem, eſt cholera. Si autem fuerit melancholicus, & fuerit autumnus, & aſſumſit cibaria melancholica, tunc eſt ſignum melancholiæ. Si autem fuerit phlegmaticus, & fuerit hyems & in ocio, & comederit cibaria phlegmatica, & poſtea incurrat laſsitudinem ſatis eſt rationale, quod materia

peccans

peccans est phlegmatica. Si autem cum his comedat salsa & acuta, & lassitudo fuerit cum pruritu, phlegma salsum significatur. Si autem fuerit sanguineus, & tempus vernale, & assumsit cibaria calida, humor sanguineus est in caussa. Si autem vrina est remissa, humor crudus est in caussa, & si fuerit [*tincta clara*] intensa cholera caussatur. Si nigra aut liuida ac viridis, melancholia est in caussa, aut humor adustus. Et si quis balneauerit se, & sentit rigorem, humor crudus est in venis, & si in principio vrina fuerit clara & citò corrumpatur, patet quòd veniat à caussis extrinsecis, humor crudus videtur in caussa, secundum Galenum. Ita qui diligenter vult currere per res naturales & non naturales, & ad ea quæ non egrediuntur à corpore, & ad colorem cutis, & ad modum lassitudinis non effugiet eum caussa faciens lassitudinem. Prognosticatio. Cum huiusmodi species lassitudinis veniunt à caussis extrinsecis, nō est multum timendum, quod satis de facili recedunt cum quiete, & modico adiutorio, quod tunc extrinsecæ caussæ non imprimuntur in caussas intrinsecas, nisi caussæ extrinsecæ sint valde fortes, aut corpus esset dispositum summè, & paratum propter nimiam humorū abundantiam. Si autem veniunt istæ dispositiones laboriosæ propter caussas intrinsecas, tunc prognosticant morbos futuros, si continentur, aut nisi remedia adhibe-

antur. Et hoc eſt quod dicit Hipp. ſecunda parti. Aph. cum dicit, laſsitudines ſpontaneæ denunciant morbos. Sed quando veniunt ſine cauſſa extrinſeca & manifeſta, tunc videtur quod in corpore ſunt humores mali iſtam diſpoſitionem inducentes. Et imò qui iſta conſideraret, poſſet ſemper præſeruari à morbo, quoniam ſecundum Gal. libro ſuo de Criſi. Nulla eſt ægritudo, quæ eueniat ſubitò vt fulgur, & imò ſemper præcedit aut ut plurimum aliquando alia diſpoſitio, fatigatio laborioſa, aut ſtupida, & aliquando res naturales exeunt modum [*atq; gradum*] ſuum, & omnia talia ſunt ſigna ægritudinis futuræ. Occurratur igitur eis in principio, & ita præſeruabitur à futuris morbis. Curatio in diſpoſitione vlceratiua, & potiſsimè cum venerit ex cauſsis extrinſecis, iniungatur quies, deinde fricetur fricatione leui, vt materia quæ eſt iuxta cutim euaporetur, deinde inungatur cum oleo ſeſamino, oliuarum maturarum, amygdalarum dulcium, & ſi non ſedetur, fortificentur fricationes, & addatur exercitium temperatum, & balneum temperatum, & inducatur ſubtilis diæta. Si autem ex his non ſedetur, corpusq; videtur plenum, purgetur ſecundum exigentiam humorum. Si autem dolor ſeu labor fuerit tenſiuus, tunc cum ibi ſit mala qualitas, & nimia quantitas, fiant iſta quæ dicta ſunt per ordinem, niſi quod fiant fortiora. Fricatio igitur fiat

tur fiat

tur fiat fortis & longa, & abstinentia maior, & balneum magis prolixum, & addatur cum prædictis oleis, oleum de camomill. & si tribus diebus fuerit continuatum, & dolor non sedetur, tunc videtur quod malicia est in venis, & tunc purgetur secundum exigentiam humorum. Si autem dolor seu labor fuerit grauatiuus, tunc ista omnia videntur fortiora & maiora, & magis profundata, & magis grossa, & in membris sensibilibus situata, & imò omnia fortificentur & intendantur, vt quod diæta sit tenuior, & fricationes adhuc fortiores & prolixiores, & exercitia, & balnea. Et si ista non proficiant, addatur cum oleis prædictis oleum de lilio, & oleum laurinum & costinum. Deinde si non habeamus alleuiationem materia peccans est multa, euacuetur sicut oportet. Si autem dolor fuerit apostemosus siue inflatiuus, quod iste multum approximatur ad febrim, statim fiat phlebotomia fortis, quod si neglexerit, timendum est de febre, quam si incurrerit, gratia Dei erit, si nunquam euadat, secundum Gal. in de regimine. Et talis species doloris accidit mihi propter laborem in visitando, & neglexi, & incurri febrem continuam, & abstraxi in vna die iiij. scutellas sanguinis, & cum sudore plurimo, Dei gratia, euasi. Dicit autem Galenus, Si humor fuerit paucus bonus, & mali multi, non fiet phlebotomia, & si humores approximentur ad san-

guinem, fiat phlebotomia, & ſi omnes abundent, & ſi ſanguis fiat, phlebotomia, & ſi humores inæqualiter abundent, purgetur primò ſuperabundans, deinde fiat phlebotomia, ſed tamen ſecundum Galenum, in virtute forti poteſt fieri fortis phlebotomia, ſed in debili mediocriter purgemus, & parum phlebotomemus ita quòd videtur ſentire Gal. quòd virtus debilis melius poteſt ſuſtinere pharmaciam quàm phlebotomiam, & eſt verum de lenitiua pharmacia. Si autem fuerit diſpoſitio deſiccatiua, tunc iniungatur quies, & dentur cibaria nutritiua, & balneentur in aqua calida, & poſtea in frigida, vel quaſi frigida. Et dicit Galenus, quòd quando Athletis veniunt iſtæ diſpoſitiones laborioſæ, quod debent balneari in aqua feruenti. Deinde intelligendum eſt, quod in oſcitatione & in halitatione valet vinum temperatè ſumtum, ſecundum Hipp. niſi aliud impediat. Deinde ſummopere eſt intelligendum, quòd humoribus crudis exiſtentibus, in primis venis, nullo modo fiat phlebotomia, ſecundum Galenum, quoniam humores crudi traherentur ad membra, nec fiat exercitium, nec fricatio, nec balneum, quoniam diſſoluerentur humores, & commouerentur, & eſſet timẽdum de febre, nec detur pharmacia, quòd fieret cum torſionibus, nec quæ alteret in cruditatem, nec multum calida, quòd ſimiliter timeretur febris, vigilandum igitur

cum

cum magna diligentiá. Inprimis igitur iniungatur quies, & otium, & ſomnus longus, & paruitas cibi & potus, & cibus ſit ſicut perdices aſſæ, & panis mundus, & vinum clarum ſed parum. Deinde poſtquam ſteterit ſic tribus diebus detur ſibi diatrion pipereon, & ſi tempus & regio ſint frigida, addatur diacalamentum, & ſi eſſet cum torſionibus & rugitibus, addatur vltimo dianiſum, diacyminum. Et ſi eſſet nauſea, addatur vltimo diacydonium & diambra. Et ſi regio eſſet calida, diminuantur iſta, & addantur diarrhodon abbatis, & zucch. roſ. & cum hoc ſit, de ijs detur vncia vna in regione frigida, in calida vero regione drachma vna vel ij. & tardè, quoniam licet aſsit cruditas [*magis ſi daretur*] magna ſi addentur diacydon: & pipereon, & potiſsimè calamentum. Et ſi tempus eſt calidum, timendum eſſet de febr. ſicut dicit Auerrhoes in collectario ſuo: & dicit hoc de regione ſua, cum ipſe fuerit de quadam parte Hiſpaniæ, vbi eſt Corduba & Iſpalis, &c.

DE EXPVLSIONE SVPERFLVORVM ET CVRA EORVM.

CAP. XVII.

QVANTVMCVNQVE VTATVR aliquis bono regimine in omnibus, nihilominus

ſuperflua remanent naturaliter in qualibet digeſtiua. Cum igitur errores accidant frequenter ex parte malæ qualitatis cibi, & ex parte malæ quantitatis, & aliorum multorum, tanto magis neceſſarium eſt, quod ſuperflua expellantur, aliter enim ſi retineantur ſunt cauſſa febris, apoſtematum, hydropiſis, & aliarum ægritudinum peſsimarum. Tunc igitur humores aut dominantur plus proportionaliter à diaphragmate inferius aut ſuperius. Et ſi inferius ita quod inteſtina, aut matrix, aut veſica, aut iuncturalia incipiant aggrauari, tunc ſummè competit vomitus, & quod materiam euacuat, & quod trahit ad oppoſitum. Tunc igitur accipiantur diuerſi potus, ſicut vina alba & rubea, & noua, & antiqua, & diuerſa cibaria, ſicut ſunt ſalſa & dulcia, ſubtilia & groſſa, & iſta accipiantur ad ſatietatem, deinde immediatè euomant antequam poſsint ſtomachum tranſire, & potiſsimè, ſi fuerit æſtas, & poſtea ſtẽt ſine cibo tribus horis, deinde accipiant ea quæ ſtomachum confortant. Et ſi fuerit cholericus, accipiat zaccharũ roſarum. Et ſi phlegmaticus, vtatur diamentha & diacydonio. Et ſi melancholicus, vtatur diamargariton, deinde utatur cibo ſubtili & digeſtibili, & in parua quantitate. Et ſi ſit paratus ad phthiſin, uel ad catarrhactam, vel vertiginem, & ita de alijs, vitet vomitum. Si autem nõ poſſit euomere, aut nolit, aut non debeat [*audeat*] vtatur

vtatur benedicta, aut theodoricon empiricon. Et si fuerit in iuncturalibus, vtatur benedicta hermodactylata. In passionibus autem quæ fiunt à diaphragmate superius magis valet pharmacia. In passionibus igitur capitis & pectoris, vtatur hiera picra. Si autem materia fuerit grossa aut subtilis, utatur isto medicamine, quod valet ad omne cōmuniter. Ita quod si aliquis nihil sciret aliud, posset honorificè viuere in hoc mundo. Recipe anisi, marathri, cumini, sem. apij, ammeos, spicænardi, squinanthi, fol. menthæ, fol. absynthi, nucis muschat. minutiorum, cinnamomi, coriandri præparati, vuarum passarum ab arillis mund. bdellij, traganthi, panis zucc. ana drach. iij. aloes succo citrino lotæ vnc. j s. fiat omnium puluis, & ponatur in sacculo de aluta, & cum vti voluerit, accipiat drach. iij. vel vnc. s. secundum diuersitatem particularium, cum ierit dormitum, & quod stomachus omnino sit vacuus semel in septimana, aut de xv. in xv. diebus, aut plus aut minus iuxta conuenientiam particularium. Est tamen animaduertendum, quod si fuerit cholericus, aut uelit choleram in plus purgare. Recipe iiij. sem. frigid. ma. & min. & fiat decoctio, & cum ista decoctione prædictus puluis distemperetur, & eunti dormitum stomacho vacuo tribuatur. Si autem fuerit phlegmaticus, aut velit phlegma purgare in plus, tunc Recip. rad. fœnicul.

petroſel. apij, & decoquantur in brodio cicerum, & prædictus puluis cum iſta decoctione ſumatur. Si autem fuerit melancholicus, aut velit purgare melancholiam in plus, tunc Recipe florum borrag. bugloſſæ, epithymi, polypodij, aniſi, fiat decoctio, & cum iſta decoctione ſumatur præcedens puluis. Et ita patet, quod in via præſeruatiua ualet in omni regione, & in omni humore iſte pul. & ferè in omni ætate, quare cum magna reuerentia eſt ſeruandus: hoc autem eſt, quoniam aloe purgat phlegma & choleram, & mundificat melancholiam, ſed lota minus euacuat, magis tamen confortat. Eſt autem calida communiter in ſecundo, & ſicca in tertio gradu, bdellium, tragacanth. frigid. & aqua hordei vigorantur operationes eius, & maliciam remouent. Si autem totum corpus fuerit plethoricum, aut ſanguis dominetur, & cum hoc crudi humores nó ſunt in primis venis. Si fuerit ver aut æſtas, fiat phlebotomia de baſilica dextri brachij: Et ſi fuerit autumnus aut hyems, fiat de parte ſiniſtra. Si autem fieri non poteſt phlebotomia, ratione ætatis, aut alicuius rei conſimilis, fiat ventoſa cum ſcarificatione de ſpatulis, aut de coxis.

DE PVRGATIONE PARTICVLARI CVIVSLIBET MEMBRI.

SI autem caput conſueuit purgari per nares, aut palatum, & modo non purgatur.

Recipe

Recipe camomillæ, meliloti, anthos. florum vtriusq; stæchad. ana vnc. ij. bulliant in vino albo, & recipiatur fumus per os & nares, dum tamen non fuerit rheumaticus, aut accipiatur vna gutta vel duæ illius decoctionis, instilletur in naribus, hoc autem purgat caput, & præseruat ab apostemate, apoplexia, vertigine, & passionibus oculorum, & similibus. Si autem pectus non posit bene purgari & mundificari: Recipe ireos, hyssopi, calamenti, capill. ven. vuæ passæ, liquir. mund. & decoquantur in hydromele, & fiat gargarismus frequenter & multis vicibus. Si autem accidat nausea & fastidium, prouocetur vomitus, bulliat igitur semen raphani & sem. atriplicis in oxymel. diuretico, deinde apponatur modicum olei crudi & accipiatur, & postea vomitus prouocetur, vel si ex his non posit euomere, sumat succum mediani corticis sambuci, quantum media testa oui capiat. Deinde si fuerit cholericus, vtatur dragacantho frigido cum zuc. ros. Et si fuerit phlegmaticus, vtatur diacydon. Et si melancholicus, vtatur diabuglossa, dianthos cum musco. aqua etiam decoctionis ligni aloes cum musco confortat stomachum, & vtatur paruitate cibi & potus. Et si ita fuerit, quod fuerit constipatus, & non possit bene assellare, aduertendum est ad caussam, & si fuerit ex prauitate cibi augmentetur, & si fuerit ex hoc quod vtitur cibis siccis, sicut

sunt

ſunt aſſa & frixa, tunc vtatur oleribus, ſicut ſunt ſpinachia, attriplices, bletæ, borragines, & ſimilia. Si autem fuerit conſtipatus propter hoc quod comedit ſtiptica, ſicut ſunt caſtanea, vtatur brodio carnium, vt ſit pinguedo multa aut oleum. Et ſi fuerit propter complexionem calidam epatis & ſiccam, & membrorum vicinantium, vtatur lactucis, cucurbita, & ſimilibus frigidis & humidis. Si autem fuerit propter humores groſſos & viſcoſos, vtatur brodio galli antiqui, vbi ſit polypodum multum, aut aniſi, & ſumatur carthamus cum ficubus. Si autem fuerit propter feces induratas, fiat clyſtere de ſucco bletæ, & modico ſalis, & mellis, & multo oleo violarum, & ſimilibus. Si autem vrina retineatur, & cauſſa fuerit calida, decoquantur ſemina frigida in aqua hordei, & ſumantur cum muſcilaginib. pſylij. Et ſi cauſſa fuerit frigida, decoquatur aniſum, marathrum, ſemen apij, creta marina in brodio cicerum, & ſumatur. Et animaduertendum, quod nimia retentio fecum & vrinæ parat ad multas peſsimas ægritudines, & nimius fluxus ſimiliter. Si autem menſtrua fuerint retenta præter naturam, & ſi cauſſa eſt calida, detur ſemen endiuiæ, ſcariolæ, & mel cum ptiſana. Si cauſſa eſt frigida, detur ſemen apij & phaſeoli cum brodio cicerum, & ita de hæmorrhoidibus. Et ſi cutis corporis fuerit coarctata & conſtricta, aut ratione balnei nitroſi aut aluminoſi, aut
balnei

balnei aquæ frigidæ, aut nimis calidæ, aut solis, aut pulverum, aut venti, aut sordium, ac similium, fiant fricationes temperatæ & multæ, & exercitium, & balneum aquæ dulcis, tepidæ, & vtatur cibo subtili, & ita superfluitates per cutem poterunt euaporari, quoniam summè necessarium est, vt superfluitates à toto corpore expellantur, aliter caussa sunt multarum ægritudinum. Intelligendum ergo iuxta istam materiam, quod aliqui sunt qui consueuerunt facere phlebotomiam frequenter, & multis vicibus, & si negligunt, incurrunt ægritudinem. Si igitur isti incurrunt ægritudinem in qua indigeant phlebotomia, securius possunt facere, sed tamen malè agunt, quoniam in senectute incurrunt pessimas ægritudines, & imò paulatiuè reducantur ad temperamentum. Aliqui sunt etiam qui nunquam volunt facere phlebotomiam, & imò si incurrant ægritudinem, in qua indigent, timendum est eos phlebotomare, nisi considerentur de virtute. Et isti etiam malefaciunt, quod in magno periculo viuunt, si incurrant pleurisim, aut aliquam malam ægritudinem, & imò paulatiuè debent assuescere saltem versus medium [*madij*] manus. Et cum hoc aliqui sunt, qui consueuerunt accipere pharmaciam frequenter & multis vicibus, & si dimittunt, multùm læduntur, tales si incurrant morbum, qui indigeat pharmacia, securiùs potest eis dari & magis

ſecurè ſi illam quam conſueuerunt, & ſecuriùs ſi eſt debilis, ſed tamen peſsimè faciunt quod corpus inducunt in malos vſus, & imò paulatiuè debent dimittere, donec veniant ad temperamentum, tamen ſi quod accipiant cum indigebunt, & tunc etiam ſecundum temperamentum. Aliqui ſunt etiam qui nunquam acceperunt pharmaciam laxatiuam, & ſi incurrant morbum quòd indigeant, tardius debet dari, tamen malè faciunt quod raro accidit quod aliquis vtatur ita bono regimine quin aliquando indigeat aliqua purgatione, & imò paulatiuè reducantur. Aliqui etiam ſunt, qui conſueuerunt vomitum, & ſi dimittant, incurrunt paſsiones, ſi ergo incurrãt morbum quòd indigeant, facilius poteſt prouocari, tamen peſsimè faciunt, quod de ſtomacho ſuo faciunt cloacam, & imò paulatiuè reducantur ad temperamentum. Aliqui ſunt qui nunquam fecerunt, & imò ſi indigeant de difficili concedentur, & imò paulatiuè aſſueſcant, quod mirificè purgat ſtomachum, & præſeruat à morbis partium inferiorum. Et ſicut dictum eſt de iſtis, intelligendum eſt de exercitio & balneis, & de conſuetudine mali cibi, & aliorum multorum, quæ explicari non expedit nec poſſunt, ſed omnia ſimilia per iam dicta intelligantur. Et eſt etiam intelligendum iuxta prædicta, quòd ſi corpus indigeat purgatione choleræ, decenter fiat cum myro balanis citrinis, & caſſia fi-

ſia fi-

ſià fiſtula. Et ſi velimus purgare melancholiam, purgetur cum myrobalanis Indis, & epithymo, de cuſcuta, Et phlegma cum myrobalanis chebulis & turbith, Iſta autem decenter debent parari ſicut frequenter ſcriptum eſt in lilio, & ideo hic non appono. Sed eſt animaduertendum iuxta ea quæ dicta ſunt, quod cum aliquis incipit infirmari, vel dolere, vel laborioſus eſſe, ſtatim debet conſiderare ſi prouenit à cauſſa extrinſeca, vtpote quod cœnauit magis ſolito & tardius, aut cibaria malæ qualitatis, aut quod laborauit magis ſolito, aut quod fuerit in aëre magis frigido aut calido, & ita diſcurrendo per omnes res naturales. Et ſi ſic procul dubio coniectura eſt, quod illud fuit occaſio, & tunc illis cauſsis obuiare debet. Si autem nihil horum fuit, tunc ſtatim debet conſiderare, ſi omiſit aliquid conſuetum, & potiſſimè de illis quæ euacuant verbi gratia, vbi longo tempore conſueuit facere phlebotomiam, & modò dimiſit, aut pharmaciam, aut ſudare in balneo, aut exercitium, & modò non, & ita de vomitu, & de alijs, & ita de ſimilibus naturalibus, vt quod menſtrua deficiunt præter naturam aut hæmorrhoides, aut fluxus ſanguinis narium conſuetus, & ita de alijs, & cum hoc aliquid accidit [*ſibi*] ſuperfluum vltra ſolitum, & vltra quod deberet, aut accidens animæ, aut aliquis fluxus inſolitus, & præter naturam, certè tunc ſtatim eſt bona coniectura,

quod

quod illud fuerit caussa istius dispositionis aduenientis, & tunc tollenda est. Si autem nihil horum fuerit, tunc humores sunt in venis ex multo tempore collecti, & tunc illi auferendi sunt iuxta gradus suos. Et sine dubio totum istud caput aureum est, quoniam mirificè regit, & regulat medicum, & in regimine sanitatis, & curatione morborum.

DE REGIMINE CORPORIS TEMPERATI.

CAP. XVIII.

CORPORA TEMPERATA VEL multum vicinantia ad temperamentum, cum solis temperatis regi debent, & imò indigent aëre temperato, & cibo, potu, somno, & vigilia, & inanitione & repletione, & balneo, & coitu, motu & quiete, & accidentibus animæ. Si omnia ista & alia debent sibi offerri in maiori temperamento in quo est poßibile, & imò quod vernalem aërem [*semper hyeme*] habere non possumus, ideo temperetur habitatio in æstate cum aqua frigida, & aceto, & aqua rosarum & nenuph. & cannis, & quod portæ sint ex parte Septentrionis. Intelligimus autem quod hoc corpus temperatum, sit liberum & non occupatum in vitæ necessarijs. In hyeme rectificetur aër cum igne & lauendula, & roremarino

remarino, & mentha, & similibus. MODVS autem viuendi debet esse iste, postquam bene & quietè somnum compleuit, & per se excitatus est, tunc debet fricari à capite vsq; ad pedes secundum tamen temperamentum, & postea induatur vestimentis mollibus & [*delicatis*] desiccatis, & temperatis, deinde expellat superfluitates assellando, mingendo, tussiendo, spuendo. Deinde orare debet & domum sui creatoris visitare. Deinde debet legere, studere, disputare, conferre, & dicta Sapientum diligenter audire, & temperatè gaudere, & aliquando cogitare, & aliquando modicum irasci, vt calor naturalis excitetur, & statim dimittere, deinde debet exercitari temperatè, deinde abluatur cum aqua calida. Deinde postquam quieuerit, comedat modicum panis triticei bene cocti & recentis, & benè fermentati, deinde accipiat vnum haustum vini odoriferi, clari, non antiqui, non noui, bene maturi, deinde quiescat & studeat in dictis Sapientum. Deinde solatietur & gaudeat cum amicis, & cum dilectis, & cum honestis. Deinde versus vesperas maiorem suam comestionem accipiat, nisi consuetudo impediat. Vtatur ergo gallinis, perdicibus, phasianis, aut mutone iuuene, aut auibus paruis degentibus in campis longè à lacubus. Et quod non possunt omnia seruari, imò cum iam dictis vtatur etiam borrag. buglos. & aliis oleribus simili-

bus. Et ſi debeat vti fructibus, vtatur ante comeſtionem fructibus, vt vuis aut feſtucis, vel fiſticis, aut amygdalis, & poſt comeſtionem modico pyro aut de caſtanea, aut meſpilo. Alia etiam ſunt temperata ſicut panis & vinum, & aqua, & omnia ſimilia, de quibus facta eſt mentio ſuperius, & ſeruentur omnes regulæ ſuperius dictæ, quod non multiplicentur fercula, & quod non diu ſedeat in menſa, & omnia alia quæ dicta ſunt, Deinde poſt cœnam debet ſtare ſuper pedes ſuos, aut ſuauiter debet ambulare, vt cibus deſcendat ab orificio ſtomachi, deinde aliquis legat ſibi vitam alicuius ſancti, & cum incipit fatigari ponat ſe ad dormiendum, & cum cibus erit digeſtus, & ſuperfluitates expulſæ, ſi licentiam habeat coeundi, iuxta legem Dei & naturam coeat, ſed tantis interuallis, quod ſentiat corpus alleuiatum, & nullo modo grauatum. Si autem aliquis error accidat, ſtatim corrigatur, & cum alterantibus reducatur. Et ſi ſuperflua fuerint retenta, expellantur ſicut ſuperius dictum eſt, quoniam quantumcunque corpus fuerit temperatum nihilominus ex ſua guloſitate, & ſimilibus, poteſt temperamentum amittere, de quo multum dolendum eſt, quod aliquis ſua culpa ita pulchrum iocale amittat.

DE REGIMINE COMPLEXIONIS DISTEMPERATAE.

CAP. XIX.

COMPLEXIONVM DISTEMPERATArum à natura quædam eſt in qua eſt modicus lapſus, in qua non læduntur operationes, & quædam eſt in qua læduntur occultè tantum, & non manifeſtè, & de iſta non agimus hìc, quoniam non eſt de præſenti capitulo. Quoniam igitur ita eſt, quod aliquis à natura habet complexionem lapſam in caliditate, tamen & alia ſunt temperata, & quædam frigiditate tantum, & alia ſunt temperata, & quædam in humiditate tantum, & alia ſunt temperata, & quædam in ſiccitate, & alia ſunt temperata. Tales autem complexiones, aut conſeruare volumus, aut reducere: Si ſeruare, dentur eis ſimilia in ſpecie & natura, hoc eſt in gradu & complexione, & talia non poſſunt, niſi in eo in quo ſunt. Si ergo ſit lapſus in ſecundo gradu, & dentur ſibi in eodem gradu, non alterabunt ſed conſeruabunt, quoniam nullum agens poteſt vltra ſuam ſpeciem, ſicut colligitur ex ſeptimo phyſ. Si ergo diſcraſia eſt in primo gradu [*& applicata ſunt in primo gradu*] nunquam ducent ad ſecundum gradum, quod tunc agerent vltra ſuam ſpeciem.

Restat ergo quod vnumquodq; distemperatum in aliqua qualitate conseruabitur per similia in specie & natura. Calida ergo corpora conseruabuntur cum calidis, & frigida cum frigidis, & sicca cum siccis, & humida cum humidis, & hoc est quod dicit Galenus in de regimine. Si vis conseruare crasim qualem accepisti, similibus similia offeras, calidiora calidioribus igitur indigent adiutorijs, & frigidiora frigidioribus, & sicciora siccioribus, & humidiora humidioribus. Si igitur volumus reducere calida debemus per frigida, & frigida per calida, & sicca per humida, & econtrario.

DE REGIMINE COMPLEXIONIS DISTEMPERATÆ IN CALIDITATE cum volumus eam reducere.

TALIS igitur in prima ætate debet regi cum temperatis, sed in iuuentute calor incipit magis incendi, aër ergo magis vergat ad frigiditatem quàm ad caliditatem, & somnus excedat vigilias, & quies laborem, & si balneetur in æstate, aqua magis vergat ad frigiditatem quàm ad caliditatem, & in hyeme præcedant fricationes, & post balneetur in aqua tepida, & sit magis in vmbra quàm in sole, ita quod omnes res nō naturales vergere debent ad quandam frigiditatem. Cibus eorum sint carnes hœdulinæ, gallinæ cum lactucis, muto

cum

cum cucurbitis, piſces cum modico aceti, & poteſt vti perſicis, & cerаſis acribus,& prunis, & pyris, & pomis. Vinum ſit ſubtile, album, clarum.

DE REDVCTIONE COMPLEXIONIS FRIGIDÆ.

ISTI enim indigent fortiori contrario reducente, quàm calidi, quod magis diſtant à principijs vitæ. Aër ergo ſemper ſit calidus, & ſi non poſsit haberi per naturam, habeatur per artificium, & fricetur fortiter, & exercitetur, & balneetur in aqua calida, vbi ſit camomilla, melilotum, & anthos. Vitet coitum, quoniam erit poſsibile, quod infrigidat, deſiccat & debilitat. Vtatur aſsis & frixis, & mentha, & hyſſopo, ſinapi, & porris, & allijs, & eruca, & nuce muſcata, & cinnamomo,& triplici genere piperis,& potet vinum purum, antiquum,& ſi contingat potare aquam, bulliat ibi ſaluiam, mentham, & ſimilia.

DE REDVCTIONE COMPLEXIONIS HVMIDÆ.

HVMIDI enim ſint in aëre calido, & fricatio, & balneum ſint calida, & exercitium ſimiliter, ſed ſit in abſtinentia, & vigilia, & ante cibum balneetur in aqua aluminoſa, aut nitroſa ac ſulphurea, aut ſalſa, aut ſepeliatur in arena maris in æſtate, vtatur carnibus ſalſis, &

carnibus animalium ſylueſtrium, ſed in parua quantitate, vt digeſtiua non corrumpatur, omnia quæ comedat de carnibus ſint aſſa aut frixa, & vtatur pipere, vitet olera, brodia, offas, piſces, & omnia humida, & vtatur omnibus ſiccis cum temperamento quod humidum eſt de facili reducibile.

DE REDVCTIONE COMPLEXIONIS SICCÆ.

CORPORA ſicca & extenuata, carnibus agnorum & porcellorum vtantur, ſic quod digeſtiua non corrumpatur, & vtatur brodijs & iuſcellis, & piſcibus ſquamoſis, & ouis ſorbilibus, & balneo temperato, & ſtatim ſequatur balneum quaſi frigidum, & vtatur lacte & quiete, & ſomno longo. Et ſit eorum regimen Ethicorum & conſumtorum, nulla autem via vtatur coitu, quoniam terminum vitæ ſibi imponeret. Et ſi lapſus fuerit compoſitus, componatur etiam medicamentum.

DE HABITVDINE CORPORIS.

CAP. XX.

QVIDAM SVNT QVI HABENT habitudinem corporis multùm pinguem, & quidam multùm extenuatam & macilentam, & qui-

& quidam mediocrem. Inter iſta quidam etiam ſunt multum rari, & quidam denſi, & quidam mediocres. Mediocritas autem ſemper eſt bona, quoniam mediocritas habitudinis & complexionis non poteſt eſſe niſi per bonitatem compoſitionis, & imò tales diutiùs viuunt, & digeſtiuam habent fortiorem, & melius poſſunt reſiſtere cauſſis extrinſecis & intrinſecis. Aliæ autem omnes habitudines ſunt morboſæ & malæ, repugnant cauſſis morborum, tamen inter omnes habitudines magis eſt morboſa habitudo pinguis & potiſsimè, quoniam ſunt cum anguſtia & ſtrictura venarum naturali. Potiſsimè tamẽ de facili cadunt propter cauſſas intrinſecas, & imò de facili incurrunt, apoplexiam, epilepſiam, aſthma, ſyncopen, & mortem ſubitaneam. Et hoc eſt quod dicit Hipp. Craſsi vero ſecundum naturam, &c. Et cibi in exercitantibus ad ſummum bonæ habitudinis fallaces. Nihilominus à cauſsis extrinſecis, ſicut eſt calor & frigus, & ſic de alijs, non ita de facili læduntur. Habitudo autem macilenta eſt mala, quod calor naturalis de facili extinguitur & exhalatur potiſsimè, tamen læduntur à cauſsis extrinſecis, & imò modico calore aut frigore, aut vento, aut pluuia, aut ira, aut triſtitia, extenuantur aut diſſoluuntur.
Habitudo autem ſolida & depreſſa [*denſa*] cognoſcitur, quod eſt albi coloris & ſine pilis, & cum modico ſudore, & vrina multa & egeſtio-

 ne mul-

ne multa, de difficili tamen patiuntur à caufsis extrinſecis. Sed à qualibet cauſſa intrinſeca facilè læduntur, ſicut pingues, & imò parati ſunt febribus & apoſtematibus, & morbis chronicis. Corpora autem rara cognoſcuntur, quod multum piloſa & delicata, iſta autem omnia corpora ſunt magis paſsibilia, & potiſsimè à cauſsis extrinſecis. Læduntur enim à calido, frigido, & imò non poſſunt pati nec dolorem, nec alia. A cauſsis tamen extrinſecis, ſicut eſt ſuffocatio & febris, non ſunt parati, & potiſsimè, quoniam iſta proueniunt propter cauſſas extrinſecas.

CVRATIO NIMIAE PINGVEDINIS.

ILLI enim indigent paruitate cibi & potus, & longa fricatione, & longo exercitio, & balneis ſulphureis, & multis vigilijs, Ira etiam & ſollicitudo, & triſtitia, multum competunt eis, ſed gaudium & lætitia nunquam. Comedant panem cum furfure, & milium, & olera, & fructus, & omnia quæ parum nutriunt. Potus ſit aqua aut vinum album ſubtiliſsimum, decubitus ſit durus, & veſtis ſit aſpera, omnis labor & omnis ſollicitudo competit, ſed potiſſimè cibi & potus paruitas, ſicut dictum eſt. Lactuca etiam à proprietate habet macrare, accipiat frequenter medicinam phlegmaticam purgatiuam. Et dicit Auicenna, quod tryphora mi-

ra minor, & theriaca, & dialacca, & acetum potatum in ieiunio multum valent ad macrandum.

CVRA MACILENTI.

In macilento competit quies & ocium, & longus ſomnus, & balneum poſt cibum, dum tamen non fuerit cibus in ſtomacho, & quod poſt balneum aquæ calidæ infundantur in aqua frigida, & ſumantur brodia, iuſcella, & oua ſorbilia, & piſces, & accipiatur frumentum excorticatum, & hordeum mundatum à cortice, & riſi, & conterantur fortiter, & decoquantur in lacte amygdalarum, aut brodio gallinæ, & in lacte ouium, aut in brodio carnis mutoninæ, & illa decoctio ſorbeatur, & eſt mirabilis in impinguando. Agni etiam competunt, & porcelli, & breuiter omnia humida ſicut eſt dictum de mala complexione ſicca.

CVRATIO CORPORIS DENSI.

Inprimis fricetur leuiter & ſuauiter, & [*deinde exercitetur fortiter, deinde fricetur*] longo tempore, & poſtea abluatur cum aqua calida, deinde inungatur cum oleo laurino, coſtino & caſtor. & vtatur paruitate cibi & potus, & regatur ferè ſicut pinguis.

CVRATIO RARI.

Fricatio dura & balneum bene cali-

dum competit ei, vt claudantur pori & inungatur sic. Recipe maſtichis thuris, laudani, myrtillorum, roſarum, bulliant in oleo, & inungatur, & regantur ferè ſicut macilenti, & ſenes & conualeſcentes & debiles, quoniam multa fit ab eis reſolutio, & ſi cauſſæ componantur, & medicamenta etiam.

DE PRAESERVATIONE MEMBRI DEBILIS.

CAP. XXI.

SECVNDVM INTENTIONEM GAleni, in de morbo & accidenti, membra fortiora expellunt ſuas ſuperfluitates ad membra debilia, hoc eſt dictum, quoniam membra fortia expellunt ſuas ſuperfluitates, & membra debilia recipiunt ex hoc quod expellere non poſſunt à ſe, & propter hoc cutis facta eſt debilis, vt non poſsit reſiſtere ſuperfluitatibus. Membrum autem debile à natura cognoſcitur, quoniam ex facili qualibet cauſſa ſiue extrinſeca ſiue intrinſeca læditur. Nunc autem tale membrum debet confortari, aliter enim timendum eſt de ægritudine incurabili. Incipiamus ergo à capite.

DE PRAESERVATIONE DEBILITATIS CAPITIS A NATVRA.

Aliqui

ALIQVI enim habent caput ita debile à natura, quod de facili læduntur à vento, & pluuia, & à calido & frigido, & à repletione, & ab inanitione, & propter ſtomachum, & ſimilibus. Sit igitur canon & regula, quod non cooperiat nimis caput, quod inter omnia nimia coopertura capitis magis debilitat caput, & accelerat caniciem. In æſtate igitur cooperiat caput leuiter, & in hyeme temperato modo, & potiſsimè qui habet caput frigidum, ſed nullus audeat portare pelles in caputio, donec venit ad ſenectutem, & tunc etiam cum temperamento, deinde vitet omnia fumoſa, & quæ replent caput vaporibus, & imò vitet nuces, & omnia oleaginoſa, & caſeum antiquum, & omnia legumina, & omnes fructus & omnia olera, & vitet omnia allia, cepas, porrum, piper, & vinum forte, & vitet dormire de die, & inclinato capite. Et ſuper omnia vitet cœnam nocturnam, & ſomnum longum, & repletionem, & indigeſtionem, & omnia conſimilia. Deinde ſi caput eſt calidum, confortetur ſic. Bulliant in aqua roſ. violæ, nenuphar. & ſandal. & ſuffumigetur caput, ſed in hyeme temperentur, & in æſtate augmententur. Si autem caput fuerit frigidum, ſuffumigetur cum camomilla, meliloto, & anthos, & maſtiche, & iſta intendantur in hyeme, & remittantur in æſtate. In complexione igitur calida, dentur cibaria frigida, & alia, & in frigida applicentur contraria, ſci-

ria, ſcilicet calida, & in omnibus rebus non naturalibus.

DE PRAESERVATIONE DEBILITATIS OCVLORVM.

ALIQVI enim habent oculos debiles naturaliter, & læduntur de facili à qualibet cauſſa, vitent igitur aërem nimis calidum & frigidum, & nimium ſplendorem, & vitent legere literas minutas, & cum modico lumine, & in tempore tenebroſo, & [*longo*] loco obſcuro, & vitent coitum, & piſces. Et breuiter, omnia quæ dicta ſunt de capite, quod omnis vapor fumoſus lædens caput, lædit oculos debiles. Oculi igitur aliquando patiuntur à cauſsis extrinſecis, & illæ ſunt manifeſtæ, & aliquando à cauſsis intrinſecis, vt propter ſtomachum aut totum corpus. Si ergo corpus fuerit pletoricum, fiat phlebotomia aut pharmacia, iuxta conuenientiam particularium. Si igitur humor fluat à capite ad oculum per venas extrinſecas temporum ſcindantur & extrahantur, & medicentur ſicut oportet. Sed ſi fluat per venas intrinſecas, difficilis erit curatio, quod cognoſcitur, quod frequenter ſternutant: & tunc competit ſumma abſtinentia & ſuffumigatio capitis ſecundum naturam capitis. Et ſi fuerit à ſtomacho, dentur ſtiptica poſt cibum, deinde confortetur oculus ſic.

Recipe

Recipe thutiæ, & igniatur quinquies, & extinguatur qualibet via in vrina pueri virginis, & deinde [*quinquies*] igniatur & extinguatur in aqua roſarum, deinde pulueriżetur in vltimo, & puluis diſtemperetur cum ſucco coriandri, & oculo inſtilletur, & eſt mirabile præſeruatiuum. Vel: Recipe myrobalano. citrino. pulueriżentur & diſtemperentur cum ſucco vuæ acerbæ, & oculis inſtilletur. Vel ſic. Licium diſtemperetur cum aqua roſ. cum aqua pluuiali, & oculis inſtillentur, & fiant alia quæ ſcripta ſunt in lilio.

DE AVRIBVS.

AVRES aliquando ex qualibet facili cauſſa patiuntur, ſiue fuerit extrinſeca ſiue intrinſeca, vitet ergo ſonum tubarum, & magnarum campanarum, & magnarum portarum, & rugitum leonum, & mugitum taurorum, & ſimilium, & vitet etiam quod aliquid nõ intret aurem, ſicut ſunt pulices, vermiculi, puluis, ſordicies, aqua, nec liquor aliquis, quoniam cũ pueri balneantur in fluminibus, replẽt aures aqua, & aliqui quãdo abluunt caput, abluunt aures cum aqua, & malè faciunt. Mundentur igitur aures cum omnibus iſtis & [*præſeruentur*] purificentur. Vitetur etiam dolor capitis, & catarrhus, & repletio ſtomachi, & totius corporis. Mundificetur igitur caput, ſi neceſſe fuerit, deinde confortentur aures per hunc modum.

dum. Recipe anisi, anethi, marathri, sem. erucæ, spicænardi, squinanthi ana vnc. j. conquassentur & bulliant in vino albo, & fumus inijciatur per aures. Et si caussa fuerit calida, quod est de raro contingentibus, confortetur cum ros. sandal. & similibus.

DE CONFORTATIONE DENTIVM DEBILIVM.

CARO quæ est circa dentes & villi, sunt ita debiles aliquando, quod ex qualibet facili caussa læduntur. Vitent ergo omnia cibaria actu nimis calida, & actu nimis frigida, & vitent masticare panem nimis durum, [*& nimis coctum*] & confectiones duras, quæ fiunt cum melle, & non frangat cum dentibus auellanas nec nuces, & ita de alijs consimilibus, vitet etiam summè catarrhum, & stomachi repletionem, & ciborum malam qualitatem [*habentium*] & omnia similia. Confortentur ergo dentes sic. Recipe saluiæ, menthæ, myrrhæ, masticis thuris, decoquantur in vino puro, & istud vinum calidum diu teneatur in ore. Si autem fuerit caussa calida, Recipe iusquiani, & rosas, & sandal. & bulliant in aqua, & illa tepida diu teneantur in ore.

DE PRAESERVATIONE PECTORIS DEBILIS.

ALIQVI sunt qui habent pectus ita debile, quod

le, quod à qualibet facili cauſſa incurrunt tuſſim, aſthma, ſtricturam pectoris, & difficultatem anhelitus. Vitent ergo aërem nimis calidum & nimis frigidum, quod erit poſsibile, & vitent ſummè catarrhum, & repletionem ſtomachi, & acetoſa, & ſtiptica, & acuta, Mundificetur ergo corpus ſecundum exigentiam particularium, deinde confortetur pectus calidum & ſiccum ſic. Recipe diapapaueris, draganti frig. ana quart. vnam, diacodion vnciam dimidiam, miſceantur, & diutiſsimè teneantur in ore, hoc enim multum valet, quoniam materia cal. rheumatizat ad pectus à capite, nihilominus fiat confortatio ſicut in rheumate. Si autem cauſſa fuerit frigida, vniuerſalibus præcedentibus, vtatur iſto electuario. Recipe diaireos, diahyſſopi, diacalamenthi, ana vnc. ij. miſceantur. Si autem ſit timendum de ſputo ſanguinis, vtatur diapapauere, & coriandro præparato.

DE CORDE.

VITENT ſuper omnia iram, timorem, ſollicitudinem, & triſticiam, & omnia cibaria malæ qualitatis, & aërem qui eſt in exceſſu, & repletionem ſtomachi, & mundificetur corpus ſicut oportet. Et ſi cauſſa eſt frigida, vtatur diambra & diamargariton, & diacameron, & ſuffumigetur cum ambra, & ligno aloes, & muſco, & cum illis fiat emplaſtrum ſuper pe-

ctus.

ctus. Pullæ ſint aſſæ & lardatæ cum garyoph. & aſperſæ vino albo odorifero. Et ſi cauſſa eſt cal. vtatur zucc.roſ. & trionſandal. & fiat ſacculus de roſis viol. & nenuphar. bugloſſ. & florum borraginis, & camphora, & aſpergantur aqua roſ. & odorentur, & ſuper regionem pectoris vel cordis apponatur.

DE PRAESERVATIONE STOMACHI DEBILIS.

ALIQVI ſunt qui habent ſtomachum ita debilem, quod modica cauſſa incurrunt nauſeam, & vomitum, & indigeſtionem, & dolorem, & multa ſimilia. Tales ergo debent ſumere cibum in modica quantitate,& frequenter,& quod ſit temperatus in qualitate. Vitetur ergo catarrhus, vigiliæ ſuperfluæ, & omnis labor nimius, & omnis cibus malæ qualitatis, & nimiæ quantitatis, & purgetur ſtomachus cum vomitu, & cum cathartico ſecundum exigentiam humorum peccantium. Deinde confortetur ſtomachus calidus cum zucch. roſ. & trionſand. & carnibus citoniorum conditorum cum zuccharo ſine ſpeciebus, & alijs ſimilibus. Et ſi cauſſa fuerit frigida, dentur ſibi iſta. Recipe diamenthæ, diambræ. diacydon. ana lib. s. miſceantur.

DE PRÆSERVATIONE EPATIS DEBILIS.

Epar

EPAR quod eſt de præſenti, eſt debile, aut quod venæ eius ſunt anguſtæ, aut quod eſt paruum, aut nimis calidum, aut nimis frigidum. Si venæ ſunt anguſtæ ex qualibet facili cauſſa incurrit oppilationem, tunc Recipe cumini, dauci, carui, apij, aniſi, calamenti, origani, capparum, laccæ ana drach. ij. panis zucch. q. ſ. & fiat pul. aut electuarium, quo vtatur cum vino albo, aut cum brodio cicerum, vitent omnia pinguia & vnctuoſa, dulcia & groſſa ad digerendum. Si autem epar fuerit paruum, comedat quater in die, ſed parum, & in parua quantitate, & cibaria facilis digeſtionis. Si autem epar ſit calidum, vtatur lactuca, endiuia, ſcariola, cum aceto albo, vtatur albo vino, malorum granatorum. Ab extra autem poteſt epithemari cum ſucco epaticæ, & ſemperuiuæ [*& aceto*] & aqua roſ. Et ſi epar ſit frigidum, vtatur ſpicanardi, & alijs quæ dicta ſunt in ſtrictura venarum.

DE PRÆSERVATIONE SPLENIS DEBILIS.

IN ſplene vero fiant quæ dicta ſunt in epate ſed fortiora, & quod remedia varientur ſecundum varietatem cauſſarum.

DE PRÆSERVATIONE RENVM DEBILIVM.

RENES aliquando ſunt ita debiles, quod de facili incurrunt lapidis dolorem, talibus igi-

tur ſummè competit vomitus, ocium & quies, & paruitas cibi & potus, & quod non coeant, & quod cibus ſit ſubtilis, ſicut pulli, & piſces ſquamoſi, recentes de aquis mundis, & vinum ſubtile, & ſemina mundata, & ſimilia.

DE PRÆSERVATIONE TESTICVLORVM DEBILIVM.

ALIQVANDO teſticuli debilitantur propter nimium calorem quibus competit vomitus, & paruitas cibi & potus, & vtatur lactucis & iaceant ſuper lactucas & agnum caſtum, & odorent camphoram, & inungantur teſticuli & femora ſic. Recipe ſucci lactucæ, ſucci coriandri, ſucci ſemperuiuæ, & addatur cera & oleum roſ. q. ſ. & fiat vnguentum ſeu emplaſtrum. Si autem teſticuli ſint debiles propter frigiditatem, inungantur renes, & femora, & teſticuli, & virga cum arragon marciaton, & vtatur diaſatyrion.

DE MATRICE.

FIAT ſicut dictum eſt in Lilio.

DE PRÆSERVATIONE IVNCTVRARVM.

ALIQVI enim ſunt qui habent iuncturas ita debiles, quod de facili cauſſa incurrunt artheticam, tales enim ſummopere vitent crapulam & repletionem cibi & potus, & vitent omnia ci-

nia cibaria groſſa & difficilis digeſtionis, & utantur vomitu, & ante tempus, ſi ſunt ſanguinei, fiat phlebotomia, ſi cholerici, purgent cum cortice myrobalanorum, temperato per diem & noctem in ſero caprino, [*& vuis paßis mundis*] & addatur caſsia fiſtula munda. Et ſi materia fuerit melancholica, purgetur cum myrobalanis Indis temperatis in eiſdem, & addantur hermodactyli. Si autem actu incurrerent, vitent phlebotomiam & balneum. Et ſi dolor fuerit de cauſſa calida, ſedetur cum folijs iuſquiani, & ſi cauſſa fuerit frigida, ſedetur dolor cum fœnugræco & ſemine lini. Et ſi cauſſa eſt compoſita, medicina etiam componatur. In declinatione autem, corpore mundificato, poſſunt vti balneis ſulphureis.

DE IMPEDIMENTIS ET NEGOTIIS SECVLARIVM.

ALIQVI enim ſunt ita impediti in negotijs ſecularibus, quod nihil boni poſſunt facere, imò velint nolint, comedunt & potant guloſè, & ante exercitium, & poſt, & ante ſomnum, & poſt, & aliqui balneant ſe in aqua frigida etiam in hyeme, & non læduntur. Et aliqui ſunt qui non portant niſi vnam tunicam etiam in hyeme, & non læduntur, nec etiam cooperiunt caput. Aliqui qui etiam comedunt cibaria malæ qualitatis, & infinita huiuſmodi. Et quod tales non ſubiacent imperio medicinæ,

nec nos volūt recognoſcere ſuperiores, ſaltem faciamus, quod potentius bis in anno phlebotomentur, & quatuor vicibus purgentur, & Deus iuuet eos & nos.

DE EXTENVATIONE PARTICVLARI MEMBRORVM.

ALIQVANDO enim accidit, quod aliquod membrum erit paruum & extenuatum, & non poteſt magnificari, nec dilatari, nec impinguari, imò digeſtiua eſt ita debilis, quod quaſi ſemper minuuntur. Sicut accidit aliquando in brachijs, & manibus, & tibijs, & ita de alijs, talibus igitur remedietur ſicut iuxta doctrinam Galeni in de Ingenio ſanitatis verſus finem. Inprimis fricetur donec incipiat rubere, aut flagelletur ſuauiter cum modica virgula, donec incipiat rubere, aut fomentetur cum aqua calida, donec incipiat rubere, & tunc quieſcat quod nutrimentum iam attractum eſt, & tunc emplaſtretur cum pice nauali, & maſtice, vt nutrimentum retineatur, & poſt vnam horam emplaſtrum remoueatur. Ipſum etiam emplaſtrum, ſi diu ſtaret, noceret, quia reſolueret & conſumeret. Fiant ergo iſta per ordinem ter in die & nocte: Et ſic per Dei gratiam terminatur ætas ſecunda, & eius regimen. •

TERTIA PARS: QVAE EST DE REGIMINE SENVM, SEV DE senectute, duas ætates compræhendens, scilicet, senectutem & senium.

CAP. XXII.

SENES ENIM SVNT FRIGIDI ET sicci, & imò indigent calidis & humidis, vnde senes & conualescentes eodem regimine debent regi secundum intentionem Galeni in secunda particula de regimine sanitatis versus finem, vbi dicit per ista verba: Difficile est præesse custodiæ sanitatis senum, sicut & illis qui ex ægritudine reducuntur. Nam à paruis caussis in ægritudinem transeunt, imoq; vtriq; similiter diætandi. Senes autem sunt duplices, Quidam enim sunt senes dicti à senectute,& quidam à senio. Senes autem dicti à senectute, sunt fortiores, seu minus debiles quàm senes à senio. Comparando ergo senes à senio [*vel à senectute*] ad se ipsos iuuenes, omnia debent minorari, & cibus, & potus, & exercitium,& coitus, & balneum, & vigiliæ, & labor, & ita de alijs omnibus, virtus enim est debilitata, & ita omnia debent diminui. Sed senes à senio, sunt sicut lucerna parata extinctioni,&

imò omnino vitent coitum, & phlebotomiam, & medicinam laxatiuam, nisi esset magna necessitas, & quod hoc posset confidere de habitudine corporis, & figura. Omnia ergo diminuuntur notabiliter & manifestè, sicut & ipsi diminuti sunt. Sufficit ergo eos aliqualiter saluare, quod reducere eos ad melius non possumus in quantum huiusmodi.

De Aere.

Aer sit Orientalis versus meridiem, ita quod sol subintret de mane habitationem eius, & tendat [*circumdet*] totam domum. Sit igitur temperatus in æstate, & si non posit per naturam, fiat per artificium. In hyeme autem semper sit ignis in camera sua sine fumo, & de die & de nocte, sit ergo illud totum dormitorium totum mundum, longè à lacubus & superfluitatibus.

De Pane.

Panis sit triticeus de farina albissima mundissima, & sit bene coctus & bene fermentatus, & cum modica quantitate salis, & sit de vna die ad alteram, & frumentum sit de loco eleuato non fumato. Et quod messes [*segetes*] fuerint fertiles anno illo, & quod nulla corruptio acciderit in segetibus.

De Vino.

Vinum

VINVM debet esse clarum, antiquum, id est, rubeum, bene maturum, odoriferum, nullo modo nouum, & si habeat bonum saporem apponat modicum de aqua, & si debile multum, quoniam secundum Galenum, Quantum est vinum nociuum pueris, tantum est iuuatiuum senibus, dum tamen quantitas sit temperata, Vinum autem album secundum Auicen. non competit senibus, nisi post comestionem si pateretur sitim, & tunc sit album, subtile, debile, & erit loco aquæ.

DE AQVA.

AQVA etiam debet esse munda, clara, aliena, priuata ab omni malo sapore, sicut dictum est superius.

DE CIBIS.

VTATVR carnibus mutoninis & vitulinis lactantibus, & hœdulinis lactantibus, & porcinis incolentibus montana, dum tamen steterint in sale per tres dies, & vtatur gallinis & caponibus, & perdicibus, & sturnis, & phasianis, & auibus minutis, dum tamen non degant in aquis. Carnes autem animalium syluestrium vitet nisi versus finem veris, cuniculos iuuenes, & capreolos, & ceruos lactantes, istis enim possunt vti aliquando, omnes alias carnes vitent, vtantur piscibus squamosis de aquis mundis, & coquantur in vino puro cum

ſale & petroſelino. Ouis gallinarum poteſt vti dumtamen ſint ſorbilia. Vitet omnia legumina, ſed brodijs ipſorum poſſunt vti de caulibus, vitent caules, ſed vtatur brodio.

De Fricationibus.

NVNQVAM audeat comedere donec per totum corpus fuerit temperatè fricatus, & propter hoc dicebat Galenus, Poſtquam fricati fueritis comedite vos ſenes.

De Exercitio.

QVOTIDIE exercitentur ante cibum, vel peditando, vel equitando, [*vel in quadriga*] vel aliquo alio modo potiſsimè conſueto.

De Balneis.

BALNEETVR quater in æſtate, & quater in hyeme, & ter in vere, & ter in autumno, & hoc temperato modo, & iuxta conſuetudinem ſuam, & ſecundum quod delectabitur: Omnino vitent coitum, ne ſubitum incurrant obitum. Vitent omnia accidentia animæ præter quàm gaudium & læticiam, ſit temperata ira, & modica bene poſſet concedi ad excitandum calorem naturalem.

De Inanitione et Repletione.

SVPER omnia vitet repletionem, quia virtus eſt

tus eſt debilis,& ſuffocaretur,& vitet inanitionem, quod virtus extingueretur, comedat ergo ter inter diem & noctem,ſed in parua quantitate.

DE SOMNO ET VIGILIA.

MIRABILITER confert eis bonus ſomnus & longus, & vigiliæ nocent.

DE VSV LACTIS.

LAC caprinum bene competit eis & aſinæ,ſed quod vtatur bonis paſcuis,& quod apponatur ſalis modicum, & mellis, & quod adiuuet medicus, quod lac nõ coaguletur in ſtomacho, nec generet dolorem, nec torſionem, nec ventoſitatem, & ſi bene digeratur ſummè competit. Et dicit Galen. de lacte aſinino iſta: Aſininum vero lac minus fallax, omnino enim ſi ſolum quandoq; ſumetur ſine pane, & ſubducit corpus & minimè eſt ventoſum, nec caſeatur ſecundum ventrem, & maximè ſi de ſale & melle aſſumſerit,&c. Senes ergo centenis annis poſſunt viuere cum lacte, dum bene in ſtomacho & epate digeratur. MEL bene mundum conuenit ſenibus, dum tamen non fuerint oppilati.

DE SVBDVCTIONE VENTRIS.

BENE ſunt fortunati ſenes, qui habent

ventrem laxum naturaliter, ſed vt plurimum ſunt conſtipati: vtatur igitur in principio menſæ aliquo iſtorum aut multis, ſcilicet violaria, malua, mercuriali, ſpinachijs, atriplicis, orchis, bletis, borrag. bugloſſ. Iſta & ſimilia poſſunt condiri cum brodio carnium, aut cum lacte amygd. & vtatur eis ſine pane in principio comeſtionis. Et poteſt vti ficubus recentib. tempore ſuo & racemis, & in hyeme caricis & vuis paſsis, [*& in æſtate*] prunis & ceraſis, & iuiubis, & fiſticis, & amygdalis. Et poſsit capere caſsiam fiſtul. in principio menſæ, & ſi iſta non valent, vtatur iſto electuario poſt mediam noctem ſtomacho vacuo. Recipe cathol. catharctici imperialis, diaturbith, ana vnc. ij. miſceantur, & poſt ſume vnc. j. vel plus vel minus iuxta conuenientiam particularium. Vtatur etiam pro laxatione ventris, caricis cũ carthamo aut brodio galli antiqui cum polypodio & aniſo, aut faciat clyſterem, vbi non ſit acuta niſi parum. Recipe mercurial. viol. maluæ, abrotani ana M. ij. ſucci bletæ quart. j. furfuris plenam manum, ſalis, mellis ana vnc. s. [*fiat decoctio, & in decocto reſolu. caſsia fiſt. munda.*] olei viol. vnc. iij. fiat clyſter, Et dicit Galenus, quod oleum ſumtum ante cibum, eſt bonum pro laxatione ventris. Confert etiam aliquando in hyeme comedere porros bene paratos ad ſubductionem ventris.

De op-

DE OPPILATIONIBVS.

Si senes incurrant oppilationes in pectore bulliatur hyssopus & ireos, & capill. Veneris, & cum hydromelle sorbeatur. Et si sint oppilationes in epate aut splene, Recipe rad. fœn. petros. brusci, sparagi, apij corticis capp. & tamarind. & bulliant in hydromelle & oxymelle simpl. & vtatur eo. Et est intelligendum, quod theriaca bene competit aliquando senibus. Exemplum autem quod mirificè competit senibus, est potio muschata. Sed quod secundum Gal. Senes non sunt sine querela, quoniam à vertice capitis vsq; ad plantam pedis, non est in eis sanitas, quoniam conqueruntur de catarrho, de vigilijs, de tussi, de scabie, de pruritu, de indigestione, de retentione vrinæ, & multis consimilibus, & imò dicebat Hipp. Aphor. Senioribus vero branchi & coryzæ &c. Ideo querela aut est parua, aut est magna aut maxima. Si querela fuerit parua, curetur cum fricationibus, aut exercitio, aut balneis, aut vnguentis, aut emplastris, aut abstinentia, quod totum industriæ medici relinquo. Et quod etiam superius dictum est de leuibus & modicis dyscrasijs propter quas non læduntur operationes. Si autem querela fuerit maior, vt quod naturalia manifestè mutantur, de talib. dicemus adhuc. Si autem dyscrasia fuerit maxima, in lilio est fideliter aggregatnm,

tum, & imò curabitur omnis dyſcraſia in qualibet ætate ſiue parua, ſicut dictum eſt ſuperius, ſiue magna ſicut dicetur, ſiue maxima ſicut alibi pertractatum eſt, vt dictum eſt.

DE REGIMINE CONVALESCENTIVM.

CAP. XXIII.

QVANDOQVE accidit quod aliquis ſubito curatur, ab aliqua ægritudine, hoc autem accidit, quoniam eſt de præſenti tripliciter: Aliquando ſine omni euacuatione ſenſibili & manifeſta, aliquando cum euacuatione, ſed non ſufficienti, aliquando cum ſufficienti, & perfecta criſi. Si autem fuerit morbus ceſſatus ſine omni euacuatione, tunc aut ægritudo eſt acuta valde aut tranquilla. Si acuta aut regitur ſicut conualeſcens aut ſicut infirmus. Si ſicut infirmus recidiuabit, ſed non multum malè. Si autem regatur ſicut conualeſcens recidiuabit & peius. Si autem ægritudo ſit tranquilla, recidiuabit ſi malè regatur, ſi autem bene non eſt neceſſarium quod recidiuet, quod materia poteſt eſſe euacuata inſenſibiliter, ſed hoc eſt de raro contingentibus. Cum igitur febris acuta aut tranquilla, ceſſauit ſine omni euacuatione manifeſta, tunc creditur quod ſit curatus, & communiter reguntur ſicut ſani,

aut

aut ſicut conualeſcentes. Sed peſsimè factum eſt, & imò per VII. dies regantur ſicut infirmi ſcilicet cum hordeato, aut auenato, aut amydo, aut cum lacte amygdal. facto cum brodio cicerum, aut cum mica panis ter lota in aqua, & cum hoc digeratur materia, & euacuetur ſicut oportet. Et poſtquam tranſiuit per VII. dies & non recidiuauit, tunc regatur ſicut conualeſcens. Si autem criſis fuerit diminuta, tunc cognoſcitur, quoniam dolor eſt in capite, & vigiliæ, & ſitis, & amaritudo oris, & caſſus appetitus, & pulſus eſt velox, & vrina colorata, & ſentit ſe confractum & cõquaſſatum, tunc in tali caſu ſi ſanguis videatur dominari, fiat phlebotomia, & ſi cholera, purgetur cum decoctione prunorum viol. & caſsiæ fiſt. Et ſi phlegma, purgetur cum polypodio & turbith, & aniſo, & ſi melancholia, cum florib. borrag. & ſenæ, & epithymo, & poſtea regatur ſicut conualeſcentes debent regi. Si autem criſis completa fuerit, & nihil prædictorum apparuerit adhuc, debet timere medicus. Et imò iuſsit Hipp. in regimine [*acutorum*] vt adhuc regatur per duos dies vt tranſiret par & impar vt ſi veniret recidiuum, & ægritudo moueretur per [*numerum*] parem, recidiuaret in ſecunda die, & ſi per imparem in tertia. Sed nondum in hoc ſuo tempore debemus patientem conſeruare ſicut infirmum per tres dies, vt conſideretur motus qui fit de quarto in quar-

tum, &

tum, & cum hoc quod tunc natura debilior eſt. Summè ergo obſeruandum eſt, quod corpora immunda non conſeruentur, ſicut conualeſcentes, quoniam ſecundum Hipp. Aph. Corpora immunda quantò magis nutries, eò magis lædes. Verè ergo conualeſcentes inprimis ſumant brodium pullæ, & collum, & extremitates alarum, & poſt tres dies accipiant pectus & alas, deinde vtantur piſcibus ſquamoſis de aquis mundis, deinde vtantur pedibus agnorum & hœdorum, deinde pedibus porcinis & auribus, & ſpina dorſi, deinde carnibus hœdulinis, deinde pedibus, & gallinis, & caponibus, deinde paulatiuè perueniant ad con ſueta. Vtantur ergo fricatione & exercitio, & balneo, ſecundum temperamentum, ſed coitu non vtantur, & caueant ſummè repletionem, quod virtus eſt debilis, & non poſſet digerere. Et ſimiliter vitet inanitionem, quod de facili virtus exhalaret. Conualeſcentes ergo frequenter ſumant cibum, ſed in parua quantitate. Senes ergo & conualeſcentes pari paſſu ambulant, qui enim habent parum de ſanguine bono, & calore, & ſpiritu, & imò reſumtura, & enutrientia, eis competunt vergentia aliqualiter ad caliditatem & humiditatem, vergentia ad temperamentum, & ita calida & humida abſolutè non competunt. Et quod infirmi non ſunt, & quod reduci non poſſunt, & quod tunc complexio fluens acquiſita exce-

dent

dent radicalem, frigidam & ſiccam, & ita non poſsit regi fluens per radicalem, & ita fieret corporis putrefactio, &c.

DE CORRVMPENTIBVS CORPVS HVMANVM.

CAP. XXIIII.

CORRVMPITVR AVTEM CORPVS humanum, aut à cauſsis extrinſecis aut intrinſecis. A cauſsis extrinſecis, ſicut eſt aër. Ab intrinſecis, ſicut eſt humorum multitudo. Ab aëre, & fit duobus modis, aut ſecundum naturam, aut præter naturam. Si ſecundum naturam, ſicut eſt ſucceſsio temporis ad tempus, quoniam talis ſucceſsio ſuo modo eſt cauſſa generandi morbos, iuxta illud, Mutationes temporum maximè generant morbos. Oportet ergo videre, quid ſit agendum in temporibus anni. In principio enim veris minuatur cibus & exercitium, & minuantur calida, & vltra medium veris fiat vomitus, pharmacia, & phlebotomia, & humores minuantur propter æſtatem ſequentem. In æſtate autem minuatur cibus & exercitium, & fiat vomitus, & vitetur coitus, & ſtet in vmbra, & ſit in ocio, & vtatur frigidis & humidis. In autumno autem vitentur frigida, & potiſsimè ſicca, & vitetur aër matutinalis, & veſpertinum frigus, vitetur calor

calor meridiei, & vitentur fructus. Et versus medium autumnum vtatur vomitu parum, & vtatur pharmacia. Illud autem quod summè liberat ab ægritudinibus autumnalibus est, cum est pluuialis, & potissimè quando æstas fuerit valde sicca. In hyeme autem accipiatur multus cibus & grossus, nisi viguerit ventus australis, & vitet vomitum, sed pharmacia potest vti. Si autem fuerit præter naturam, hoc est tripliciter, quoniam aut est mutatus in eisdem qualitatibus, aut in oppositis, aut in substantia. Si in eisdem, vt quando æstas est nimis calida & sicca, aut hyems nimis frigida & humida, & ita de alijs, & talis mutatio caussat minorem epidemiam. Regatur igitur per sibi opposita in sex rebus non naturalibus. Si autem mutatio fiat in oppositis qualitatibus, sicut cum æstas est frigida, & humida, & pluuiosa, & hyems calida & sicca, & ita de alijs, tunc caussatur media epidemia, & tunc indigent fortiori regimine, & maiori euacuatione, quod dyscrasia est maior & semper per opposita. Si autem aëris mutatio fiat in substantia, tunc caussatur maior epidemia, & hoc est cum corrumpitur aër, non in se, sed propter vapores admistos, vnde tunc epidemia aut venit à superioribus, sicut cum est aspectus orbis maleuolus, quod cognoscitur quando apparent impressiones in aëre anno illo, sicut est stella, cometa, & similia, &c. & aues dimittunt nidos

suos,

ſuos, Tunc enim homines debent ſtare in locis ſubterraneis, & in ciuitatibus vbi domus ſunt altæ & cameræ ſtructæ. Si autem epidemia venit ab inferioribus, tunc diſcernitur, quoniam tunc multa reptilia apparent ſuper faciem terræ, & tunc homines debent morari in altis locis. In epidemia autem vitetur repletio cibi & potus, & coitus, & omnis labor, & exercitium, ocium enim competit, vt non ſit coactus attrahere aërem. Si ergo epidemia trahat ad caliditatem, tunc vtatur omnibus acetoſis, ſicut ſunt mala granata, & ſuccus citri, & ſuccus acetoſus, & ſuccus vuæ acerbæ, & acetum, & camphora, & pomis, & perſicis, cucurbitis, lactucis, & ſimilibus. Et domus ſit frigida, & portæ ſint Septentrionales, & irroretur domus tota cum aqua roſ. & aceto, & ſandal. & nenuphare, & ita de alijs. Si autem diſpoſitio aëris trahat ad frigiditatem, vtatur frixis & aſsis, & ambra, & ligno aloes, & muſco, & diacameron, & ſimilibus. Si autem corrumpatur natura humana propter cauſſas intrinſecas, tunc ſunt potiſsimè intrinſecus repletiones humorum. Si autem dominentur omnes humores, fiat phlebotomia, & ſi ſanguis ſolus, fiat etiam phlebotomia. Et narrant alij, liber Regum, & Conſtantinus autoritate Gal. quod quædam mulier non poterat habere menſtrua & cotidie macerabatur, & Galenus fecit ipſam phlebotomari multis vicibus, & fuit curata, &

est mirabile, postquam venæ erant repletæ sanguine quomodo macerabatur? dico quod propter istam repletionem oppilabantur viæ & foramina, & ita sanguis non poterat disseminari, & cum hoc virtus attractiua & digestiua debilitabantur propter repletionem, & ita non nutriebantur. Et tamen hoc est de rarò contingentibus, quod frequentius accidit hydropisis, & morbi repletionales, sed narratur quod rarò accidit. Si autem dominetur cholera, digeratur cum oxysaccharo, & syr. viol. & purgetur cum myrobal. citrinis paratis, sicut oportet, & cassia fistula. Si dominetur phlegma, digeratur cum oxymelle, diuretico, & purgetur cum myrobalanis, Kebulis & turbith. Et vbi dominetur melancholia, digeratur cum oxymelle, squillitico, & purgetur cum myrobalanis Indis, & lapide lazuli. Myrobalani autem semper debent temperari die ac nocte in lacte caprino & vuis passis.

DE MVTATIONE RERVM NATVRALIVM.

CAP. XXV.

SECVNDVM QVOD SCRIBIT GAlenus tertia particula de interioribus ad vnam columnam cũ dimidia, sicut etiam fuit dictum superius: Quod vnumquodq; corpus, quod ex na-

ex naturalibus prodit quocunq; modo admittit detrimentum eſt ſanitatis regiminis naturalis, ad complementum regiminis ſanitatis pertinet, quod diligenter inſpiciatur. Si aliqua res concutiat diſpoſitiones naturales, vnde videndum eſt, ſi mutetur intellectus, aut viſus, aut anhelitus, aut appetitus, aut egeſtio, aut vrina, & ita de alijs, quoniam cum aliquod membrum mutetur à diſpoſitione ſua naturali, hoc non eſt niſi quod aliqua cauſſa immutat & perturbat, quæ ſi continuaretur cauſſaret morbum, quare vtile erit illi cauſſæ repugnare, & potiſsimum in principio, iuxta illud: Principijs obſta.

DE MENTE.

ALIQVANDO enim perturbatur ingenium, intellectus, memoria, & imaginatio, & ita de alijs, hoc autem non fit vt plurimum niſi ex frigido & humido, & hoc eſt quod dicit Galenus tertio de interioribus, ſicut ſuperius frequenter dictum eſt. Frigidum enim eſt in confuſione animæ in primo gradu, & humidum in ſecundo. Inprimis igitur abſtineat fortiter, & vitet ſomnum longum, & ſuffumiget caput cum ligno aloes & ambra confectis cum aqua roſ. muſchata, & purgetur cum hiera picra, iſtud enim poſſet valere in ſtupore omnium ſenſuum.

DE SOMNO SVPERFLVO.

TALIS ſomnus prouenit ex mala complexione humida, cum materia aut ſine materia. Et ſi ſine materia tunc ſuffumigetur cum calidis & ſiccis. Et ſi cum materia, tunc purgetur cum hiera picra, & gargarizet iſta.

Recipe ſinapi, pyrethri, ſtaphyſagriæ, euphorbij, & bulliát in oxymel. ſquillitico, & gargarizetur aut vna gutta aut duæ, naribus inſtillentur ac miſceantur cum melle, & maſticentur, iſta enim purgant phlegma fortiter à capite, & calefaciunt, & deſiccant.

DE VIGILIIS.

VIGILIÆ autem vt plurimum ſunt propter cerebri ſiccitatem, & tunc vtatur lactucis & coriandro, & diapapauere, & fomentetur caput cum aqua decoctionis papaueris & coriandri.

DE EMVNCTIONE NARIVM.

SI autem nares nimis emungentur, ſuffumigetur cum maſtiche & thure, & ligno aloes. Si autem parum, fiat cum camomilla, meliloto, & anthos.

DE APPETITV.

SI autem augmentetur, prouocetur vomitus cum oxymell. diuretico, & purgetur cum hiera

hiera picra, & dentur vnctuosa, deinde vinum, deinde diatrion pipereon. Et si diminuatur, prouocetur vomitus cum semine atriplicis, & purgetur cum casia fist. & demus acetosa, hoc est intelligendum, cum aliquis appetit calida, acuta & dulcia, & non est nisi quod in stomacho dominetur phlegma acetosum, purgetur ergo vomitu, & alia contraria [*si autem & sitim patiatur*] tribuantur fructus frigidi, & alia frigida & humida, præter lac & pisces. Si autem non patitur sitim, calefaciamus stomachum cum dianison & dianthos.

DE EGESTIONE.

Si autem augmentetur egestio, per viam mundificationis dimittatur nisi excederet, & tunc mundificetur corpus secundum exigentiam materiæ, sed tamen cum myrobalanis, &c. Si autem esset propter multitudinem cibi, minuatur cibus, & si minuatur egestio propter paruitatem cibi, augmentetur cibus. Et si propter cibaria stiptica, vtatur vnctuosis & lenitiuis. Si autem retineantur egestiones præter solitum modum, aut propter phlegma grossum, & paruitatem choleræ descendentis ad intestina, vtatur clystere & pipere grossiter confracto cum caricis. Si autem fuerit propter caliditatem & siccitatem, vtatur viol. mercurial. maluis, & casia fistul.

DE VENTOSITATE INTESTINORVM.

SI autem fuerit propter multitudinem cibi, minuatur cibus, & vtatur poſt abſtinentiam forti exercitio, &ſi fuerit in frigiditate, vtatur aniſo, cumino, & vino albo, forti, puro & ſacelletur cum ſale, & ſemine rutæ, & vtatur origano, & fiat clyſter, & ponatur in balneo.

DE VRINA.

SI multiplicatur per viam multiplicationis dimittatur niſi excedat. Si propter multitudinem cibi & potus, minuatur, & ſi propter caliditatem renum, ponantur roſæ & ſand. cum aqua roſ. ſuper renes. Et ſi minuantur propter paruitatem cibi & potus, augmententur. Et ſi propter nimiam caliditatem, detur ſemen endiuiæ, ſcariolæ, & viol. Et ſi propter humores groſſos, detur apium & marathrum. Et ſi ardor in veſica, detur mucilago pſylij, colata cum ſeminibus mundatis lactucæ.

DE MENSTRVIS MVLIERVM.

SI autem menſtrua fluant per viam mundificationis, non reſtringantur, niſi virtus debilitaretur. Si autem eſſet propter pororum largitatem, & expulſiuæ fortitudinem, vtatur ſumach & ſemine portulacæ, & bolo armeno

cum

cum ſucco plantaginis, & iſtud idem proijciatur in matricem. Si autem retineantur, balneentur in aqua vſq; ad zonam, in aqua vbi ſit camomilla, melilotum, anthos, artemiſia, ſauina, & lupini, poſtea fiant emplaſtra ante & poſt cum his, & fiat phlebotomia de ſaphenis. Idem fiat de hœmorrhoidibus.

DE CONCVPISCENTIA COITVS.

Si concupiſcentia coitus augmentetur præter ſolitum, caliditas & humiditas ſignificatur, fiat igitur phlebotomia, & vtatur lactucis & coriandro, & odoret camphoram, & ſternatur lectum cum folijs agni caſti, & quod vertat imaginationem ad alia. Si autem præter ſolitum minuatur, vtatur carnibus porcinis cum cepis & ciceribus, & tritico cocto cum zinzibere, & diaſatyrion cum caudis ſtincorum.

DE SVDORE.

Si ſudor exuberet propter viam mundificationis, non reſtringatur, niſi virtus multum debilitetur. Et ſi fuerit propter multitudinem cibi & potus, minuatur. Et ſi fuerit propter nimiam repletionem, minuatur iuxta conuenientiam humorum & aliorum particularium. Et ſi fuerit propter laborem & alia huiuſmodi, quieſcat. Et ſi propter nimiam raritatem, in-

ungatur cum oleo roſ. & myrtino. Et ſi non poſsit ſudare, decoquatur caſsia lignea in oleo camomil. & inungatur aut ponatur veſica ænea plena aqua calida in pedibus & lateribus.

DE PROGNOSTICATIONE MORBI FVTVRI per ea quæ ſunt extra naturam.

CAP. XXVI.

SVPERIVS CAP. XIX. DETERMInatum eſt de lapſu modico, & ſuperius capite XXI. determinatum eſt de debilitate naturali membrorum, hìc autem agit de lapſu notabili & magno, ita quod iſti lapſus peſsimas paſsiones & morbos pronunciant, niſi eis ſuccurratur.

DE DOLORE.

DOLOR capitis aut ſpatularum, aut cuiuslibet partis corporis, morbum futurum magnum ſignificat, licet dolor ſequatur morbum, vbi autem dolor, ibi narrat ægritudinem. Succurratur ergo cum phlebotomia, ſi corpus eſt plethoricum, & cum pharmacia, vbi alij humores à ſanguine dominentur. Dolor capitis, & grauedo cum triſticia, & difficultate anhelitus, maniam ſignificant. Cui ſuccurratur cum epithymo, hiera picra, hiera Ruffi, &

cum

cum gaudio & instrumentis Musicis. Dolor capitis transiens, dilatationem pupillæ significat. Dolor capitis cum apparitione muscarum & pilorum coram oculis, catarrhactam significat. Vitent igitur omnes pisces, omnia legumina, & omnes fructus, & omnia fumosa, & in magna sint abstinentia, & purgentur cum hiera picra, aut pillulis aureis. Dolor capitis in febribus cum rubore faciei & oculorum, & apparitione lampadum & vigilijs, & remissione vrinæ, phrenesin significat, cui succurratur cum phlebotomia & maxima abstinentia, & clysterizetur, & repercussiuis procedatur.

DE HIS QVAE APPARENT IN FACIE.

GRAVEDO visus & auditus, & aliorum sensuum cum stomacho & vertigine, & incubo, epilepsiam, aut apoplexiam, aut mortem subitaneam significat. Quibus immediatè fiat clystere, & præcipiatur vltima abstinentia, & purgētur cum hiera picra, & fiant violentæ fricationes. Iectigatio in facie spasinum cum stupore, paralysin & lethargiam significat, cui fiant clysteria multa, & purgationes cum hiera picra, & abstinentia, & fricationes, & similia. Et si facies fuerit rubea rubore trahente ad fuscedinem cum morphæa, & raucedine, & difficultate anhelitus, procul dubio lepram significat, cui velocissimè succurratur cum

multis phlebotomijs & frequenti exhibitione hieræ Ruffi, & cum abſtinentia ciborum melancholicorum, & calidorum, & de facili corruptibilium, & de difficili digeſtibilium. Si facies ſit ſubtumida cum inflatione palpebræ inferioris, & cum grauitate dextri hypochondrij, hydropiſin ſignificat, vbi competit ſumma abſtinentia, & potiſsimè potus, & non comedat panem aliquo modo, nec aliquas carnes niſi volatilium, & quod ſint aſſæ. Tortura & ſaltus in facie, paralyſin ſignificat, purgetur cum hiera picra, & fricentur & fiant cauteria in facie, & in collo, & reſpiciat ſe in ſpeculo de chalybe.

DE PECTORE.

Cvi frequenter accidit catarrhus, & eſt macilentus, & habet pectus ſtrictum & debile, ſpectat peripneumoniam, aut phthiſin. Inprimis reſtringatur rheuma, & purgetur caput cum hierapic. & ſacelletur caput cum milio & fiant cauteria in capite in commiſſuris. Et ſi cauſſa eſt calida, vtatur diapap. & ſi eſt frigida, diairis & diahyſſopo, & vigilet multum, & ſummè abſtineat.

DE CORDE.

Tremor cordis & ſaltus, ſyncopen aut mortem ſubitaneam ſignificat, purgetur igitur corpus cũ hiera Ruffi, & vtatur diacameron, diamar-

diamargariton frig. & ſacelletur pectus cum floribus borrag. bugloſs. & meliſſa, & corticibus citri, & roſis & violis ſiccis, & nenuphare, & ligno aloes, & aqua roſ. muſchata, & ſit ſemper confeſſus & pœnitens, quod mors fortiſsime pulſat in ianuis.

DE DEXTRO HYPOCHONDRIO.

GRAVITAS & dolor, & punctura in dextro hypochondrio cum febre, apoſtema epatis ſignificat, quibus ſuccurratur cum phlebotomia epaticæ & cum caſsia fiſtul. & appoſitione roſ. & ſandal. & camphora. Si autem iſta fuerint ſine febre, & cum duritie, oppilationem ſignificant, bulliat igitur abſinthium, apium, fœnicul. [*fœnumgræc.*] petroſel. & [*lacca & ſpicanard.*] lactucam & ſpinachiam in oxymel. ſquillitico, & vtatur illo cum brodio cicerum, & inungatur tota regio cum aragon. mar ciaton, & dialthæa.

DE VENTRE.

DOLOR continue circundans vmbilicum, tympaniten ſignificat, ſi autem patiatur abominationem, faſtidium, inflationem, & ven toſitatem in latere & ſub hypochondrijs, colica paſsio ſignificatur. Inprimis fiat clyſtere, & apponatur cuminum, ſemen rutæ & hiera picra, & vtatur cuminata Alexandrina, & purgetur cum hiera picra, & inungatur cum oleo

de ruta

de ruta, & ſit in vltimo abſtinentia, & vtatur aſsis, & vino puro, & ſacelletur cum ſale & aniſo, & cumino, & ſemine rutæ. Dolor ventris cum punctura & mordicatione inteſtinorum, & cum fluxu ventris, dyſſenteriam ſignificat, detur enim nucleta & athanaſia cum bolo armenico. Egeſtiones albæ præter ſolitum, ićtericiam citrinam ſignificat, fiat igitur phlebotomia de epatica, & ponatur ſuccus lactucæ cum aceto & aqua roſac. ſuper regionem epatis. Pruritus in ano & dolor, & grauedo, & ægritudo præter hoc quod ibi non ſunt vermes cucurbitini, thenaſmonem ſignificat, aut hæmorrhoidas. Sed in tenaſmone accipiantur vermes ſeu ſcarabei, qui inueniuntur ſub vrceolis, aut ſub lapidibus qui ſunt in cellarijs ſubtus dolia, & conterantur fortiſsimè cum ſeuo hircino, & fiat emplaſtrum, & deſuper apponatur.

DE RENIBVS.

SI dolor fuerit in fine ſpondylorum, & verſus coxas cum feb. apoſtema renum ſignificatur, fiat ergo primo phlebotomia de baſilica, ſecundo de ſaphena, & ſemper ex parte lateris vbi eſt maior dolor, & purgetur cum caſsia fiſt. & emplaſtretur cum roſ. & nenuph. & ſandal. & aqua roſ. Si autem fuerit hæmorrhoidarum dolor, accipiatur apium cum radice, & totum conteratur, & deſuper apponatur.

De

DE VESICA.

Si arenæ multo & longo tempore appareant, & ſubitò, præter quod non eſt vſus medicaminibus ad hoc valentibus, lapidem ſignificant, & ſi fuerint rubeæ, ſignificatur lapis renum, & ſi albæ, veſicæ. Ad præſeruationem autem lapidis multum valet vomitus & diæta ſubtilis, & quod vtatur diureticis & lenibus, ſicut ſunt ſemina frigida. Si autem lapis ſit generatus, cauetur ſicut dictum eſt in lilio. Si autem aliquis patiatur arſuram in mingendo, vlcerationem veſicæ & virgæ ſignificat, vtatur ergo mucilagine pſylij cum ſeminibus frigidis mundatis & lactucis. [*& lacte.*]

DE TOTO CORPORE.

Si carbunculi & apoſtemata parua minuta naſcantur in corpore aut vlcus, apoſtema magnum ſignificatur, fiat igitur phlebotomia de mediana, & purgetur corpus ſecundum exigentiam humoris, & teſtor Deum & angelum, qui datus eſt mihi ad cuſtodiam, quod qui fideliter & cum amicitia iſtud perlegerit & ſeruauerit, nunquam morietur niſi morte naturali, quæ mors eſt ſuauis & dulcis, & ſine pœna & fatigatione, ſicut teſtatur Galenus in De differentijs feb. & placeat Domino Ieſu Chriſto, quod verificetur poſtea dictum Ouidij quod eſt tale:

Parte

Parte cum meliore mei ſuper alta perennis
Aſtra ferat noſtrum quod erit indelebile nomen.

DE ITER AGENTIBVS.

CAP. XXVII.

QVI VVLT SE TRANSFERRE de regione ad regionem, inprimis mundificet corpus cum phlebotomia, & pharmacia, & abſtinentia, vt ratione laboris & mutationis aëris & ciborum non contingat fieri ebullitionem humorum in corpore, & ita non generabunt febres, nec apoſtemata nec laſsitudines, & ſimilia. Et cum hoc exerceat ſe paulatiuè exercitio quo debet vti, ſi debet ire pedes vel peditando quotidie per vnam vel per duas leucas, vt ſit aſſuetus ad laborem. Similiter faciat equitando, ſi debeat facere iter ſuum equitando, ſimiliter fiat in nauicula, in flumine, aut ſtagnis, aut iuxta ripam maris, ſi debeat transfretare, ſimiliter in quadriga, & ſimiliter, paulatiuè vtatur omnibus illis cibis quibus vſus eſt in via, aut regione ad quam vadit, vt breuiter dicam, in omnibus quæ acturus eſt ſit aſſuetus. Cum ergo viam incipit agere, non comedat de mane vſq; ad tertiam, & parum comedat, aut bibat, vt non fluctuet in ſtomacho, vitet omnia ſalſa, & omnes piſces, & omnes fructus,

& om-

& omnia olera, nisi vteretur eis in via gratia medicinę propter sitim, aut propter laxationem ventris, aut ad constringendum, & similia. Vitet ergo omnia dulcia, & oliuas & cappares. Omnia enim ista quæ dicta sunt, aut de facili corrumpuntur, aut inducunt sitim. Cum autem in fine diei venit ad hospitium quiescat, & postea sumat cibum temperatum, & de facili digestibilem & in temperata quãtitate, & potum similiter. Sed accidit aliquando, quod aliquis debet ire per mare, aut per desertum magnum, & fortè ipse non est paratus ad portandum, & non inuenit cibum, tunc accipiat epar porcinum, aut alterius animalis, & lardetur cũ gariophyllis, sed in parua quantitate, & cum lardo, sed adhuc in minori quantitate, & cum sufficiẽter decoctum fuerit, scindatur in vltimo & teratur, deinde cum medullis vituli & cum adipe boum liquefactis, & cum oleo sesamino, aut oleo amygd. dulcium, omnia misceantur & retundantur sicut si esset vna massa facta ad modum emplastri, & tunc vtatur paulatiuè ista massa in tempore famis, quoniam & nutrit, & summè aufert appetitum, vitam tamen suam per hunc modum longo tempore poterit sustentare. Si autem transierit per loca vbi non deberet inuenire vinum aut aquam, tunc portet secum sach. candi & sem. portulacæ, & se. acetosæ, conterantur & misceantur & teneat in ore. Si autem habeat acetum &

aquam,

aquam,tunc iſta miſceantur cum modico aceti aut vino malorum granatorum, & cum multa aqua ſorbitet paulatiuè.

CONTRA CALOREM.

CVM autem iturus eſt in tempore calido aut regione multum calida, tunc accipiatur ſuccus portulacæ & mucilago pſylij, & oleum roſ. & viol. & miſceantur, & tunc accipiatur camiſia, & infundatur in illis, quoniam poteſt eſſe à diaphragmate ſuperius & induat, deinde habeat veſtem quæ diſplois appellatur, ſcilicet tunica de duabus telis, & in medio ſit bombax ſecundum mediocritatem non tamen tantum quod nimis ponderet, nec ita parum quod radius ſolis poſsit penetrare, deinde aliam veſtem leuem ſuper illam, deinde cooperiat caput fortiter & potiſsimè cum capello facto de pilis caſtoris, ſi haberi poſsit, deinde faciat caligas & ſotulares de pelle hœdulina pingui pilo remoto, & quod ſit paratum ſicut oportet, & ſciunt ſotulatores facere & coriarij, & deinde habeat chirotecas de ceruo, & tunc incipiat viam ſuam in nomine Domini, quod nullus calor poterit ipſum lædere illa die. Si autem tranſiret per loca fœtida, corrupta, venenoſa, aut quod in illo loco eſſet multitudo piſcium corruptorum, aut cadauera, aut ſerpentes, aut multa alia venenoſa, tunc teneat os clauſum & nares quantum poterit, vt non attrahat aërem,

rem, & portet in ſacculo roſas, viol. nenuph. camphor. ſandal. & modicum ligni aloes, muſci & ambræ, & teneat iuxta os & nares, & cũ venit ad locum ſorbeat oleum de ſemine cucurbitæ, quoniam multum valet contra venena, ſicut dicit Auicenna. Et ſi æſtuet magna ſiti, potet aquam frigidam cum modico aceti paulatiuè vice poſt vicem & gargarizando & diu in ore tenendo, quoniam ſi potaret vſque ad ſatietatem, timendum eſt de morte ſubitanea, ſicut dicit Auicenna. Si autem in diuitibus aut nimis delicatis, timetur quod frangatur facies, aut propter ventum aut puluerem. Recipe anxugiæ gallinæ recentis, aut porcinæ recentis, gummi, draganti, Arabici infuſi, mucilaginis pſylij colatæ, ſucci portul. albuminis ouorum ana drach. j diſtemperentur cum aqua roſ. vt aliquo modo ſit clarum quaſi vnguentum, & facies & manus illinantur, & cum voluerit abluatur cum aqua colaturę furfuris, &c.

CONTRA FRIGVS.

QVI enim iturus eſt per loca frigida, de mane inungat ſe totum de oleo de lilio, deinde induat ſe ſicut oportet, & pelles ſint vulpinæ, & habeat almucium de filtro foratum pellibus, & chirotecæ ſint de ceruo, forratura ſit de pellibus, & pedes ſint bene cooperti, & ſubtus pedes ſit ſolea de illo ligno leui de quo fiũt

 patini

patini & ſotulares, non ſint nimis ſtricti, vt poſſint aliquo modo agitare pedes, deinde vtatur carnibus aſsis cum vino puro ac veteri, & fortiſsimo aliato, & quieſcat aliquantulum vt non fluctuetur cibus, deinde portet ſecum allia, aſam & nuces, vt ſi frigus nimis cônſtringeret eum in via, quod comederet allia & nuces. Et ſi veniret ad tantum quod manus & pedes inciperent ſpaſmari ac amittere ſenſus, quod tunc acciperet drachmam aſæ fœtidæ, & tunc vadat ſicut armati & muniti in nomine Domini audacter, & ingrediatur viam. Et cum de nocte venerit ad hoſpitium, nullo modo ponat ſe ad ignem niſi eſſet vltima neceſsitas, & tunc paulatiuè, & de longe, & iaceat in lecto, & ſit bene coopertus, & camera ſit calida, & cum recreatus fuerit, abluat ſe cum àqua fontis, aut aqua quaſi frigida, deinde comedat aſſa & frixa, allia, cepas, ſinapi, & nectar, & vinum purum, forte. Sed famelici non debent cito comedere iſta calida donec quieuerint, ſed paulatiuè, aliter eſſet timendum de febre, tunc prius paulatiuè poſſent ſe ponere [*iuxta*] ad ignem. Si autem aliquis debeat iterum ſtatim ire per loca frigida, modicum aut nihil ſtet iuxta ignem. Caueat ab aqua calida, quoniam melius eſſet ſi ſit frigida vel tepiditati vicina. Et ponit exemplum Auicenna, Quoniam fructus congelatus ſi ponatur in aqua calida corrumpitur, & ſi in frigida ſanus inuenitur. O-

doret

doret lignum aloës, & mustum, & ambram, laudanum, storacem, calamitam, myrrham & thus,& suffumiget se cum illis. Si autem extrema fuerint liuida scarificetur locus, & si magis, abscindatur, ne sana vicina corrumpantur.

DE AQVA.

DIVERSITAS aquarum iter agentibus plus nocet quàm diuersitas ciborum,sicut dicit Auicenna, quæratur igitur cum omni labore bona aqua,portetur ergo aqua prima,si potest, vsq; ad locum in quo hospitabitur, & cum illã coniungat aquam illius loci, & de mane accipiat aquam illius loci, & portet vsq; ad locum alterius loci, & ita deinceps, & si portaret terram mundam de terra sua, & misceret cum aqua longinqua, & postea quiesceret & colaretur, esset bonum. Quando autem non inueniuntur bonæ aquæ, distillentur per alembicum aut bulliant in olla, & ponatur lana mollis in olla, & quod extra distillauerit colligatur, aut quod transeat multis vicibus per arenam mundam. Intelligendum quod omni malæ aquæ, vinum, acetum, allia, & cepa sunt theriaca & lactucæ si volumus infrigidare. Aliqui tamen sunt qui non bibunt vinum, & aliquando coguntur ire de nocte, & cum inueniunt fontem aut riuum bibunt aquam illam, & aliquando bibunt sanguisugam, tales ergo portent scy-

phum ſuum & telam, tunc ergo repleant ſcyphum illa aqua, & poſtea cooperiatur fortiter vndiq; ſcyphus cum tela, & poſtea ſorbitent aquam in medio vaſis [*& ita non oportet timere de aliquo reptili. Si omnia deficiãt ſorbeat aquam*] paulatiuè fortiter cum labijs conſtrictis, & teneat diu in ore, & permittat ſuauiter eliquari, & ſi forte ibi eſſet aliquid poſſet eijcere.

DE MARI.

HOMINES qui non conſueuerunt ire ſuper mare, patiuntur faſtidium, & vomitum, & nauſeam, & non debent reſtringere niſi excederet, & tunc vtãtur cydonijs & lentibus cum aceto & hyſſopo, & ſem. apij, & Dominus dirigat omnia cum tranquillitate quod deficit. Quod autem hic deficit, inuenietur in prima particula lilij in fine, iungatur ergo iſti operi, & erit opus perfecti magiſterij.



INCI-

INCIPIVNT QVÆSTIONES EIVSDEM GORDONII SVPER QVATVOR PARTICVLAS DICTAS QVARVM PRIMA EST

QVÆSTIO:

Vtrum nutrimentum poßit perfectè & in puncto membris aßimilari?

ISTA quæstio ponitur à Gordon. in fine cap. III. de regimine pueri, & arguitur quod sic, quoniam agens est sufficiens, cum nutritio sit perfecta asimilatio nutrientis cum nutrito. Hæc autem asimilatio ex parte agentis est, cum quodlibet agens intendat sibi asimilare passum quare &c. Secundo nutrimentum est in potestate, quoniam tria sunt quæ videntur impedire, quod nutrimentum non posit asimilari. Primum est distantia complexionis, sed hoc non impedit, quoniam si membra inueniuntur in aliquo gradu, vel aliqua [*meta gradus*] mensura gradus sic & nutrimentum. Secundum quod videtur impedire, est densitas & raritas membri, sed ista inueniuntur in cibis sicut in membris. Tertium quod videtur impedire, est proportio totius substantiæ cum tota substantia, sed hoc non impeditur, quoniam sicut helleborus est cibus coturnici couueniens

in tota ſubſtantia, ita caro gallinarum homini ſecundum Galenum, quare relinquitur quod non erit repugnantia ex parte nutrimenti, neç mora ſufficiens impedit, quoniam tantum con tinet contentiua, quantum digerit digeſtiua. Si igitur ſecundum Gal. de accidenti & morbo, actiones fuerint, quoniam agens eſt forte, & paſſum eſt obediens & mora ſufficiens, relinquitur quod nutrimentum perfectè & in puncto membris aſsimiletur. Tertio transmutatur ad ſpeciem, & ad conſequentia ſpeciem, quare, &c. Item venenum nutrit, quod in vltimo cõtrariatur ſicut venenum, ergo nutrimentum quod in vltimo conuenit, perfectè aſsimilatur. Item non videtur poſsibile, quod eſſet augmentum niſi perfecta & punctualis eſſet aſsimilatio, quare &c. Oppoſitum videtur quod tunc vita poſſet perpetuari, quare, &c. Solutio. Dico quod nutrimentum non aſsimilatur in puncto, & hæc eſt intentio Gal. & Auicen. & hoc planè declarat transmutatio ætatum, & imò intelligendum, quod ſecundum intentionem Gal. nullum eſt corpus in toto vniuerſo, quod poſsit peruenire ad temperamentum in quo eſt corpus humanum. Si autem inueniretur, forma humana decoraretur, hoc autem eſt falſum, quare ſemper erit contrarietas & repugnantia nutrimenti ad membra. Secundò intelligendum ſecundum intentionem Gal. 6. de morbo & accidente,

dente,

dente, quod omne agens in agendo patitur, & passum in patiendo agit & resistit. Tertiò intelligendum, Quod omne agens physicum in agendo debilitatur, cum sit virtutis finitæ terminationis, quod declarat longa continuatio suæ actionis. Ponatur igitur quod membrum asimilet sibi nutrimentum, cum ista sint contraria, necessario ibi erit actio & pasio, & repugnantia. Agens igitur debilitabitur necessariò, & hæc actio contrarietas erit in prima digestiua, & similiter in secunda, & similiter in tertia, donec omnino sit sub forma membri, quod tunc non est contrarietas nec actio, sicut declarat Galenus in De generationibus. Cum ergo in vltimo conuertitur & asimilatur, & nutrimentum cedit loco eius quod deperditum est, nō asimilatur in puncto illi quod deperditum est, quoniam illud fuit fortioris virtutis & potentiæ, licet igitur fiat perfecta asimilatio quo ad speciem & quantitatem, non tamen quo ad qualitatem punctualem.

AD RATIONES.

Ad primum argumentum dico, quod agens si semper maneret idem, vnum tūc esset sufficiens, hoc tamen non est vt declaratum est, ergo &c. Ad secundum dico, quod nutrimentum [*non est*] in omnimoda dispositione, nec est posibile inuenire compositionem, nec raritatem, nec densitatem, nec totam substantiam in vltimo conuenientem, quoniam maxima

eſt diſtantia & ſemper eſt variatio, & imò in puncto aſsimilari non poteſt. Ad aliud cum dicitur de mora, dico quod ſicut deficit digeſtiua, ita & contentiua, & econtra, & ita non eſt mora ſufficiens. Ad aliud dico, quod non eſt ſimile, quoniam ſpecies habet latitudinem, licet igitur ſit in ſpecie, non tamen in quolibet puncto, ſicut patet quod multi homines ſunt eiuſdem ſpeciei, & tamen non ſunt eiuſdem complexionis, licet igitur accidentia ſequantur ſpeciem, non tamen in puncto eodem, quoniam ſpecies non requirit punctum, ſed ſufficit ſibi latitudo. Ad aliud de veneno dico, quod non eſt ſimile, quoniam venenum cum nutrit, ſumitur in paruiſsima quantitate, nutrimentum bonum in magna, præterea nunquam nutrit perfectè, imò illa virgo nutrita veneno interficiebat cohabitantes cum ea, licet igitur aliquid contrarium poſsit duci aliquo modo ad latitudinem, non tamen propter hoc ad conueniens poterit duci ad perfectum in puncto, quoniam ſicut contrarium non ducitur ad latitudinem perfectè, ita nec ſimile ad punctum, & ſi ſic non valeret, quoniam plus ponderat punctus quam latitudo, facilius enim eſt eſſe hominem quàm perfectum hominem. Ad vltimum dico, Quod in augmento bene eſt perfectio in quanto, ſed non in quali, vnde omnes virtutes naturales augmentantur, ſed in puncto ſimiles eſſe non poſſunt: Et dato quod

quod eſſet tempus, tamen habet determinatum quod non contigit tranſgredi, & citò apparet eius defectus in declinatione. Præterea nulla virtus inferior poteſt in virtutem ſibi ſuperiorem. Sed omnis virtus generabilis eſt corruptibilis, quod ſemper maneret eodem modo, quoniam qua ratione fieret aſsimilatio nunc in iſto puncto eadem eſſet in iſto, & ita de alijs, & inde licet non omne generabile neceſſariò generetur, nihilominus omne corruptibile neceſſariò corrumpetur, hoc igitur eſſet ſibi ſupernaturale, & in hoc non poteſt natura inferior. Nutrimentum igitur in corpore [*corruptibili*] nutribili in puncto aſsimilari non poteſt.

I I.

Quæritur cuius complexionis ſit vinum?

ET arguitur quod ſit humidæ complexionis, aliqua ſunt quæ nominantur nomine vincentis ſecundum Gal. primo de complexionibus, ſicut eſt ſanguis & adeps, & vinum, quæ ſunt humida. Si igitur nominetur vinum à qualitate vincente, tunc vinum erit humidum, ſecundum Gal. Item ſecundum Gal. vua eſt humida, quare multò fortius vinum, cum depuratum ſit à cortice & arillis, & acinis in preſſura. Item in De iuuamentis membrorum Galenus loquens de conſeruatione humorum, ponit quandam ſimilitudinem, Quod ſicut in

musto sunt quatuor substantiæ, & quod resultat ex omnibus temperatum, est vinum, Ita & ex humoribus est sanguis, Nunc autem sanguis est humidus, quare vinum erit humidum, & sic concluditur, quod vinum aut erit humidum aut temperatum. Item Gal. primo De regimine sanitatis, loquens de puero eucrato dicit, quod vinum humectat. Oppositum dicit Isaac & omnes autores, quoniam vinum ponunt siccum. Solutio. Dico quod vinum est calidum & siccum de complexione, sicut dicit Galenus super tertia particula acutorum super illa parte: Mentem leuius percutit, &c. Hoc idem videtur sentire Isaac versus finem diætarum vniuersalium super illa parte regimenti sanitatis, custodia quatuor modis est etc. Ibi enim loquens de subtilibus in actione, dicit quod subtilia in actione dant malum nutrimentum in essentia, sicut est vinum forte purum, hoc autem non esset nisi quod dat nutrimentum siccum, cum nutrimentum in quantum huiusmodi debeat esse humidum, vinum igitur erit siccum. Item in vulneribus secundum doctrinam Galeni in De ingenio sanit. Competit vinum, quoniam abstergit & mundificat, hæc autem abstersio partim prouenit ei ex ratione siccitatis, quod effectus declarat vinum esse siccum. Intelligendum iuxta istam materiam, quod quomodo non quærit de vino albo, aquoso, gallicano, nec de vino for-

tiſsimo, de Cypro, ſed quærit de vino mediocri, quod eſt electum in colore, odore, & ſapore, & ſubſtantia, & temperie, & tale vinum applicatum ſecundum ſe corpori humano calefacit & deſiccat cum ſit igneum, & imò prouocat vrinam, & facit multa iuuamenta in corpore humano cum applicatur, vbi oportet etiam & ſicut oportet, Et per iſta ceſſant omnes conditiones accidentales. Et cum arguitur quod ibi vincit elementum humidum, dico quod ibi licet ſit ita, nihilominus eſt ſiccum in relatione ad corpus humanum, ſicut videmus de aqua maris, quoniam ſecundum Gal in De ſimpl. med. quod quoniam elementum in ſe ſit, eſt humidum, ſiccum verè in relatione: Ita aqua maris eſt ſicca in relatione ad corpus humanum, & imò refert dicere quod ſit tale per relationem ad elementum, & quod ſit tale per relationem ad corpus humanum. Item vua licet ſit humida tota propter partes aquoſas admiſtas, nihilominus cum aquoſitas eſt conſumta, & vinum eſt bene depuratum, tunc remanet ſiccum, nec cortex, nec arilli, nec acini ſunt de ſubſtantia vuæ, & ſi ſic, & homogeneum eſt, nec eſt, ſicut communiter dicitur. Ad aliud quod dicitur de humore & muſto, dico quod ſimilitudo currit admodum, quod ibi ſunt quatuor & hìc quatuor, & ibi eſt depuratio & hic &c. Sed in re non, quod ſanguis eſt humidus, & vinum ſiccum. Deinde cum

argui-

arguitur, quod vinum humefacit etiam puerum, temperatum dico, quod sua humefactio est per accidens, aut quod replet caput vaporibus, aut quod forte procurat bonam digestionem, aut quod datur cum multa aqua. Nos autem loquimur de vino puro, & de effectibus vini, quæ sunt per se. Et si argueretur, vinum inducit paralysin & spasmum, & ita humectat, vinum etiam reducit siccos & consumtos, & ita humectat, dico quod omnes isti effectus sunt per accidens.

III.

Vtrum vinum competat pueris?

Arguitur negatiuè per Galenum, quoniam dicit in regimine sanitatis, Quod sicut vinum est iuuamentum senibus, ita est nociuum pueris, hoc idem vult Hali primo practicæ lib. Regum & Auicenna. Contrarium vult communis vsus, per vniuersum orbem, quoniam noticia peruenit ad nos, & cum communiter pueri ex tali acceptione vini non læduntur, Ideo &c. Dico quod quo ad naturam ætatis, & quo ad naturam vini, vinum nullo modo competit, ætas enim est multùm rara & passibilis, & alterabilis, & vinum est fortissimus penetrator & dissoluit, & facit humiditates penetrare, & imò timendum est, si detur pueris, quoniam inducit epilepsiam, & hæc est res quæ pueris

pueris paratis magis inducit epilepſiam, & cũ hoc inducit ſpaſmum, paralyſin, furorem, & multa alia mala ſymptomata, & imò non eſt tutum vinum dare pueris conſiderando naturam ætatis, & naturam vini. Sed alia cum hoc conſideranda ſunt, primum eſt, quoniam aliqui ſunt, qui non conſueuerunt potare vinum in pueritia, poſtea quando veniunt ad iuuentutem, nunquam poſtea volunt potare vinum, & hoc eſt multum nociuum ætati ſubſequenti. Præterea aliqui ſunt, qui quando non conſueuerunt potare vinum in pueritia, poſtea [*cum incipiunt*] potare in iuuentute pro aliquo potu facilè inebriantur, & hoc eſt damnoſum, imò ad hoc euitandum, aliqui dant pueris vinum purum à principio, vt ſit cerebrum conſuetum, & vt ex potu alicuius vini non inebrientur, via autem media eſt tenenda. Detur ergo vinum pueris per poſt annos quatuor, ſed in parua quantitate, quod vinum ſit debile, & miſtum cum multa aqua, & per multa interualla, & tale vinum non poterit lædere. Illi ergo ſolum vitent, qui parati ſunt ad magnas ægritudines. Ad rationes dicendum, quod conſiderata ætate optimè dicebat, & tum hoc in tempore antiquo non potabatur vinum ita communiter ſicut nunc. Et hoc patet, quoniam Galenus non nouit vinum de Cypro dictum de Maduan, nec vinum quod vocatur Vernacha, [*Neruachia*] idq; inde conſtat quia nullibi facit

de ijs

de ijs mentionem, licet de multis valde longam faciat mentionem. Præterea Galenus nec Hipp. nunquam viderunt vinum album fortis virtutis, & cum hodie inuenitur ſicut aqua ardens cum virtute quaſi intolerabili, & iſta inueniuntur in multis locis in prouincia Narbonenſi. In tempore autem Auicennę, nullus potabat vinum ſecundum legem ſuam, nec adhuc potant, & imò non potuit determinare cũ tanta certitudine. De communi vſu dico, quod multùm pueris nocet, ſed ratione conſuetudinis non læduntur, Ita in ætatibus ſubſequentibus, ſi à principio paulatiuè aſſueſcant ſicut dictum eſt.

IIII.

Vtrum medicus, in quantum medicus, teneatur conſiderare accidentia animæ?

Et videtur quod non, quoniam quod eſt de conſideratione vnius artificij, non eſt de conſideratione alterius. Sed philoſophus conſiderat iſta accidentia animæ & iſta moralia, ſicut patet in libris Ethicorum, quare medico non videtur iſta conſiderare. Oppoſitum videtur, quoniam Galenus, Auicenna, & alij autores determinant de illis. Dico quod Galenus determinat iſtam quæſtionem primo de regimine ſanitatis, & dicit, quod de iſtis non tractat, vt anima fiat melior inde, ſed propter

hoc,

hoc, vt non cadat in ægritudinem. Intelligendum igitur, quod de iſtis moralibus poſſumus loqui dupliciter, aut habendo aſpectum ad animam ſolum, & ita tractat philoſophus, aut vlterius in relatione ad corpus, & ita tractat medicus. Medicus enim in quantum medicus conſiderat ſanitatem, & per conſequens omnia quæ ſanitati attribuuntur, & quod ſanitas conſeruatur, & amittitur, & reducitur, per moralia, imò medico pertinet, in quantum medicus eſt, quantum ad huiuſmodi moralia iſta pertractare. Gaudium enim temperatum conſeruat ſanitatem, & competit omnibus prӕterquam nolentibus impinguari, ſecundum Auicennam. Ira enim & furor, inducunt aliēnationem, & febrem, & imò non competunt infrigidatis, tamen competunt ita ſicut narrat Hali de duce melancholico. Timor enim inducit ſtuporem & aliquando mortem ſubitaneam, quare medicus tenetur conſiderare accidentia animæ, & per conſequens mores hominum laudabiles & illaudabiles, quoniam ſecundum Auicennam, vt dictum eſt. Sicut mali humores ſequuntur malam complexionem, ita mala complexio ſequitur malos humores, quare medicus tenetur ſcire mores laudabiles & illaudabiles, & ita ſaltem in relatione ad corpus, magnus moralis medicus debet eſſe, & quod ſumma philoſophia eſt ſcire inter homines conuerſari, & inter artifices & homines

ſcien-

ſcientes communiter. Magis conuerſatur medicus inter omnes artifices & homines ſcientes, propterea tenetur ſcire aliquam ſcientiam moralem, per quam, & in qua inſtruat omnes ætates. Modò autem inſtruere debet quo ad corpus, modò quo ad animam, vt quod homo communis eſt, communia ſcire debet. Et ſecundum hunc modum loquendi licitum eſt medico inſtruere pueros in his quæ dicta ſunt. Et cum arguitur, dico quod philoſophus conſiderat aliter, & aliter phyſicus, quod principaliter quo ad animam vt fiat melior. Sed medicus primò conſiderat corpus & poſtea animam, & ita quilibet poteſt conſiderare ſecundum diuerſas intentiones. Medici ergo conſiderant iſta, vt nunquam ſanitas corporis corrumpatur, & ibi eſt finis medici in quantum medicus eſt.

V.

Quid melius euacuat ſuperflua, medicináne laxatiua, aut exercitium?

Et videtur quod medicina laxatiua, Illud quod euacuat electiuè, ſuperfluitates melius euacuat quàm quod non euacuat electiuè. Cuius ratio eſt, quoniam electio tantum nociuum euacuat. Nunc autem ita eſt, quod omnes medicinæ laxatiuæ euacuant electiuè, quare ſuperfluitates cutis & totius corporis melius euacuabuntur cum laxatiuis quam cum exercitijs.

citijs. Item videtur, quod balneum melius, quoniam eſt ſuauius & delicatius, & manifeſtius, & citius, facit materiam euacuare per poros inſenſibiliter & ſenſibiliter. Item, fricatio magis valet, quoniam valet in omni tempore, & pluuioſo & non pluuioſo, & cum hoc poteſt ſumi & fortis & debilis, & cum hoc in hoc loco vbi tantum ſunt ſuperfluitates. Quare relinquitur, quod fricationes ſunt meliores in expulſione ſuperfluitatum. Præterea videtur quod exercitium non competat, quoniam exercitium non euacuat niſi ſit forte, & tunc facit hoc diſſoluendo, ſed humores diſſoluti poſſunt ire ad membra nobilia, & ita poſſunt cauſſare nocumentum, quare, &c. Oppoſitum dicit Galenus in De regimine ſanitatis: Dicit quod ſuperflua melius euacuantur cum exercitio quàm cum alia re, quoniam exercitium habet proprietatem excitandi & augendi calorem naturalem, & nulla res alia eſt huiuſmodi. Et cum hoc vigorat virtutem expulſiuam, & imò ſummè expellit ſuperfluitates quotidianas, & potiſsimè quod exercitium non competit, cum corpus eſt plethoricum, quod tunc competit phlebotomia, nec cum humores ſunt corrupti, quod tunc competit pharmacia, nec balneum competit niſi poſt exercitium, quoniam exercitium commouet humores, & expellit propriè per cutem, & tunc competit balneum. Cum igitur materia noſtra tractet

de regimine ſanitatis, tunc dico quod in regimine ſanitatis non eſt res aliqua, quæ ita ſuperflua quotidiana expellat. Et cum hoc arguitur, dico quod cum aliquis humor corruptus eſt, tunc competit pharmacia, & tunc pharmacia euacuat cum electione. Sed exercitium euacuat propriè vapores & ſuperfluitates trium digeſtiuarum expulſiuam ſuſcitando, & ita pharmacia euacuat vnum, exercitium aliud. Vel poſſum dicere, quod exercitium euacuat eligendo pro tanto, quod natura confortata per exercitium ſuperflua reſecat, & diminuta complet, & ita electiuè euacuat nociua, quoniam ſicut ſcribitur in diebus decretorijs, Natura ſagax eſt, cuius ſagacitatis nō eſt finis, & ita retinet iuuamentum, & expellit nocumentum. Opus igitur naturæ eſt opus intelligentiæ, ſecundum igitur iſtum modum loquendi, natura confortata per exercitium, humores & alia expellit. Ad ſecundum dico, quod in balneo non generatur calor ſicut in exercitio, ſed potius exhalat, licet igitur aliquo modo expellat ſuperflua, non ita conuenienter tamen, & cum hoc calor naturalis nō ita confortatur, ſed magis debilitatur. Ad illud de fricatione dico, quod licet competat, nō tamen ita generaliter, vnde ſicut exercitium eſt pro fortibus, ita fricatio pro debilibus. Ad aliud dico, quod exercitium faceret hoc, ſi corpus eſſet plethoricum, & tunc non competit, & quando non eſt ſic,

tunc

tunc ducit ad exteriora, & non ad interiora, &c.

V I.

Vtrum exercitium augeat calorem naturalem?

Et videtur quod non, nam illud quod non auget materiam & ſubſtantiam caloris, calorem non videtur augmentare ſaltem quantitatiuè, cum calor ſit accidens, & non multiplicetur, niſi ſecundum multitudinem ſubſtantiæ, ſed exercitium nullam ſubſtantiam addit, quare videtur, quod exercitium calorem noſtri corporis non augmentabit. Oppoſitum dicit Galenus verſus finem primæ particulæ de regimine ſanitatis, qui dicit, quod exercitium calorem naturalem augmentat ab intus, & ita ſimiliter, ſed balneum, & calor ſolis & ignis, & fricatio vnguentorum, calefaciunt ab extra. Solutio. Dico quod exercitium auget calorem, in ipſis proprijs animalium corporibus, ſicut dicit Galenus. Modus poteſt eſſe iſte, quod exercitium excitat calorem naturalem & fluentem, qui excitatus & vigoratus, magis rarificat ſanguinem in corde, & ita generat calorem fluentem, & cum hoc exercitium expellit ſuperflua, quæ tenebant calorem ſopitum, & ita calor vigoratur, & cum hoc in exercitio fricantur iuncturæ & cor. Motus autem & fricatio generant calorem, ſic manifeſtè vi-

demus in axe, in niue, campanis, & ſimilibus, quare motus & fricatio partium & potiſsimè cordis erit potiſsima cauſſa generandi calorem, hoc etiam videmus ad ſenſum qui dignior eſt omni ratione, & quod principium huius generationis procedit à corde, imò dicitur, quod exercitium & ira, & ſimilia, augmentant calorem ab intus. Balneum autem & calor ſolis, & ignis, & vnguenta, & fricationes, incipiunt calefacere ab extra, & cum hoc non ita profundatur, ſed imò dicuntur calefacere ab extra, & non ita naturaliter cum non incipit à corde. De calore autem ſolis diximus, quod eſt viuificus, & imò valet hydropicis, & confert etiam ſenibus & debilibus calefieri in hyeme in ſole in loco non ventoſo. Si autem iſta quæ dicta ſunt in tantum calefiant, quod intrent vſq; ad interiora, tunc dicunt quod nimis excedunt, quoniam calorem naturalem exhalare faciunt. Sed exercitium incipit ab intus, & ſi conſumit continuè generat, & imò nullum iſtorum ita generat & conſeruat calorem naturalem ſicut exercitium. Notandum tamen, quod non ſolum conſideramus in exercitio quod non fiat corpore plethorico, ſed etiam conſideramus, quod non fiat niſi digeſtione terminata, & imò ſecundum Gal. non debet fieri, vrina exiſtente remiſſa, quoniam tunc trahuntur humores crudi à primis venis ad totum corpus, & hoc eſt maximum nocumentum.

mentum. Et tunc cum arguitur dico, quod imò accreſcit[*acquieſcit*]ſubſtãtia ex hoc quod procuratur bona digeſtio, & ſuperfluitatum expulſio, & ſanguinis rectificatio [*rarificatio*] & ita maioris caloris generatio. Exercitium igitur & ira incipiunt calefacere ab intus, ſed ſol & alia ab extra, quare, &c.

V I I.

Vtrum lac matris ſit melius fœtui quàm lac alterius mulieris?

Et reſpondetur quod non, Quoniam lac malæ qualitatis, non competit fœtui, ſed lac matris eſt huiuſmodi cum præceſſerint in partu dolores, labores, & anguſtiæ, quæ induxerunt malam complexionem, & ita lac corruptum, quare non competit. Item fœtus in vtero nutritur ſanguine dulciori ſecundum Galen. in quarta particula Aphor. ſuper illo Aphor. Mulier &c. Sed nunc non eſt tale, quoniam ſanguis qui remanſit eſt groſſus, fœculentus, & talis non competit, Oppoſitum dicit Galenus, Dico, ſicut dictum fuit ſuperius in ſententia, quod omnibus particularibus conuenientibus, ſcilicet ætas, complexio, conſuetudo, & vitæ neceſſaria, quod omnia ſint æqualia in duabus mulieribus, niſi quod vna eſt mater, tunc dico quod magis valet lac matris, Quia ſi ponimus vnam ſanam, alteram infirmam, vel

vnam vetulam & aliam iuuenculam, & ita de alijs, tunc non valet proportio, sed si omnia sint æqualia, lac matris magis valet & competit, cuius ratio est, quoniam conseruatio fit per similia, sed lac matris magis assimilatur fœtui, quod ex illo fuit nutritus & generatus, & imò ratione similitudinis, & conuenientiæ, facilius & melius nutritur extra. Et cum tu arguas, dico quod superius fuit dictum, quod in matre non competit, sed postquam transiuerunt dolores, & quod lac mamillæ sit extractum aut mulgendo illud, aut per aliquem puerum de hospitali, vel per aliquam vetulam quæ sugit lac, & os impleat, & postea expuat, & ita continuè, donec veniat bonum lac. Interim autem potest nutriri ab alia muliere puer, vel quod nutriatur cum zuccar. trito cum melle lambendo. Ad secundum dico, quod in partu à sanguine immundo & grosso purgata est, & cum hoc per nutrimentum sanguis subtilis & dulcis generabitur, & ita lac, sicq; patet, quod cæteris paribus lac matris est conueniens.

VIII.

Vtrum corpus optimum indigeat exercitio, fricatione, & balneo?

Et videtur quod non. Optima natura tamen cum appetit, quoniam digerere potest, & habet omnia cũ modo & mensura, secundum Gal. in

Gal. in regimine. Sed exercitium & alia non fiunt nisi propter expulsionem superfluorum, sed corpus optimum nihil habet superfluum, quare nullo istorum indiget. Item naturæ forti nihil est imposibile, secundum Gal. super illam particulam, Quibuscunq; phlegma concluditur inter renes, &c. Tunc igitur si aliquid est superfluum, per se consument & expellent, & ita videtur, quod nihil indiget aliud, & sic nec exercitio nec alijs, &c. Oppositum tangit Galenus versus finem primæ particulæ de regimine sanitatis. Dico quod corpus optimum indiget exercitatione & alijs, sicut partim tactum fuit superius. Et ratio dictorum est, quoniam cibus quanquam temperatus, nihilominus contrarietatem habet ad corpus, imò aliquid habet superfluum in qualibet digestiua. Ad hæc autem oportet vt habeat aliquod adiutorium in expellendo ista. Ista autem adiutoria sunt exercitium & alia, quare si non expellerentur, caussæ possent esse multorum nocumentorum. Et cum arguitur: Optima natura appetit tantum quantum potest, &c. Dico quod verum est, præsupposito bono regimine, exercitium autem etiam alia quæ sub bono regimine continentur, quare cum istis habet illas virtutes, aliter non, vel possem dicere, quod in virtute sui habeat omnia quæ dicta sunt, sed in virtute obiecti non, quoniam repugnat. Ad secundum dico, Quod nihil est sibi imposibile

quo ad naturalia, quantum eſt de hoc præſuppoſito bono regimine, quoniam appetit, digerit, expellit, & ita de alijs naturalibus, ſed abſolutè non eſt verum, quoniam ſi poneretur in igne conſumeretur & combureretur. Corpus ergo optimum indiget auxilio artis medicæ.

I X.

Vtrum fœcunditas ſit in ſemine, in ætate, quæ eſt vltra iuuentutem?

Et apparentia declaratur quod ſic, quoniam aliqui ſunt qui non poſſunt generare in iuuentute qui poſt iuuentutem generant. Imò quod eſt fortius, quod aliqui ſunt qui generant filias in iuuentute, & poſtea generant filios, hoc autem non eſſet niſi ſemen eſſet fœcundum, quare &c. Item hoc videtur rationabile, quoniam adhuc conſtant virtutes, & ſi digeſtio eſt fortis, & aliæ virtutes videntur quod ſemen poterit eſſe fœcundum. Oppoſitum huius videtur per Gal. prima particula de regimine ſanitatis vltra medium particulæ, & verba Galeni ſunt iſta: Venerea verò ſolius adoleſcentiæ aut anterioris aut poſterioris ætatis, vel non emittunt ſperma, vel infœcundum, vel malè fœcundum exiſtens emittunt. Solutio. Dico quod fœcunditas potiſsimum eſt in illa ætate, vbi omnes virtutes vel augmentantur vel complentur propter vltimam perfectio-

fectionem uirtutis, hoc autem eſt in adoleſcentia & iuuentute, quod ſimpliciter & abſolutè loquendo in iſta ætate erit fœcunditas. Poteſt etiam eſſe in alijs ætatibus aut propter bonitatem regiminis aut regionis, & propter temperamentum præcedentium, & propter maiorem appetitum vel aptitudinem mulieris, & conſimilibus multis. Et cum arguitur quod generant, tunc & ante non poterant, dico, quod ante non poterant hoc, non erat præciſe ex malicia ætatis, ſed alicuius concomitantis. Et cum dicitur poſtea, quod modo generant filios & ante filias. Dico quod hoc erat magis ex parte complexionis quam ætatis, quoniam poſsibile eſt quod complexio eſſet calida valdè, & cum hoc non erant boni regiminis, & virtutes debilitabantur, & imò generabant filias. Sed poſt iuuentutem remittitur feruor caloris, & communiter regimen melioratur, & quod adhuc poſſunt eſſe fortiores, & ita generabunt filios. Et quod dicitur vlterius, quod virtutes ſtant, dico quod ſtant apparenter, ſed in radice non, & imò ſatis ſunt fœcundi, ſed quo ad ætatem præcedentem non.

X.

Vtrum in regione diſtemperata in frigiditate poſsit optimum corpus inueniri ſine querela?

Et videtur quod ſic, illud corpus erit optimum quod habet optimas operationes, ſecundum doctrinam Gal. in De generationibus. Sed talia inueniuntur in regionibus diſtemperatis in frigiditate. Ad ſenſum enim videmus, quod magis appetunt, & melius digerunt, & ſunt maiores in corpore, & fortiores, & magis audaces, ſicut patet in Alemanis. Oppoſitum dicit Gal. in De regimine ſanitatis particula prima, & intendit dicere, quod in regionibus diſtemperatis non inuenitur corpus optimum ſine querela, & exemplificat in Anglia & Arabia. Dico, quod in regionibus multum diſtemperatis non poſſunt inueniri corpora temperata, & ſi inueniantur, non diu eſſent in illo temperamento. Primùm patet, quoniam in regionibus frigidis ſemen infrigidatur in matrice, & eſt de ſe frigidum, & imò corpora vergunt ad albedinem, & capilli ad glaucedinem. Et in illis, qui ſunt in regione calida, ſemen aduritur in matrice, & de ſe etiam eſt vſtum, & imò ſunt nigri & capilli criſpi. Secundum patet, dato quod eſſent nō diu, quoniam quod neceſſariò eſſet in alterantibus, neceſſariò alteratur, ſed tale corpus eſt in aëre diſtemperato, quare neceſſariò alterabitur ſeu alterabit. Corpus enim temperatum indiget regione temperata, ſed aërem temperatum habere nō poſſunt, quare impoſsibile videtur, quod corpora temperata inueniantur in regione diſtempe-

ſtemperata, & imò ſolum inueniuntur in quarto climate, cum ſolum illud clima ſit temperatum, per comparationem ad climata extrema. Et quod Græcia eſt in climate quarto, Imò ibi multa inueniuntur ſicut dicit Galenus, & potiſsime in patria Hippocratis, quæ erat valde temperata. Et cum arguitur, quod operationes ſunt fortiores ſaltem in habitantibus in regione frigida, dico quod licet aliqui ſint fortiores, ſicut in digeſtiua & motiua, vitalis tamen non, quoniam licet omnia membra poſſint defendi à frigiditate hyemis, tamen pectoralia non poſſunt defendi, quia velimus nolimus aërem attrahimus, & ſic aër frigidus vadit ad cor, & cum hoc virtus ſenſitiua non eſt ita perfecta, & per conſequens nec intellectiua. Et imò manifeſtè videmus, quod plures philoſophi fuerint in quarto climate, quàm in alio, ſicut fuerunt à parte Orientali vel Orientis in Græcia, & à parte Occidentis, in parte Hiſpaniæ, in Corduba. Simpliciter igitur loquendo, operationes non ſunt fortiores in regionibus frigidis, imò abundant in humoribus groſsis, viſcoſis, frigidis, ſaltem in exterioribus.

X I.

Vtrum aqua competat in omni ætate?

Et videtur quod non, quod non competit paruis, quoniam illi indigent multo nutrimento pro-

to propter augmentum. Sed aqua prorſus non nutrit cum ſit corpus ſimplex, quare eis non competit. Nec iuuenibus, quoniam conſeruatio fit per ſimilia, aqua autẽ omnino contrariatur cuiuis iuueni, quare eis non competit, nec ſenibus, quoniam complexioni eorum aſsimilatur, ſed in diſtemperatis omne ſimile additum ſuo ſimili, augmentat illud & facit illud furere. Oppoſitum vult Galenus in de regimine ſanitatis: Qui dicit quod aqua bona com petit omni ætati. Dico quod non eſt aliqua res in hoc mundo quæ ita competit vniuerſaliter omni ætati ſicut aqua, & imò multum deberemus laborare in inueniendo bonam aquam. Accipiamus igitur cibum & aërem, & ita de alijs. Dico quod temperata non ſolum competunt temperatis, ſed diſtemperatis ſemper contraria, ſed aqua ſiue ſit ætas temperata, ſiue diſtemperata, tum aqua non ſolum eſt vtilis, ſed neceſſaria, vel quaſi neceſſaria. Cum enim cibus ſit groſſus per comparationem ad aquam, & non poſsit penetrare ad membra niſi prius ſubtilietur, & aqua ſit ſubtilis & humida, & labilis & permeabilis, imò dat viam & ingreſſum cibo, & ita facit penetrare ad membra. Nunc autem nihil eſt quod ita bene facit penetrare ad membra cibum cum modico aut nullo nocumento, ſicut aqua, nec vinum, nec lac, nec aliquis alius liquor, quare ſimpliciter loquendo in vniuerſo orbe aqua bona eſt, &
imò

imò competit omni ætati. Argumenta vero quæ fiunt contra, concedo, quod non competunt illis vijs ſcilicet paruis &c. ſed competunt per modum alium, ſi vt faciat cibum penetrare ad membra. Intelligendum tamen, quod conditiones aquæ bonæ ſunt multæ, ſecundum Hipp. Prima conditio aquæ bonæ, quod citò calefiat, & citò infrigidetur. I I. conditio ſecundum Gal. quod non ſit turbata. I I I. quod non appareant corpora nocitiua. I I I I. quod non horribiliter ſit ſapida. V. quod legumina mollificentur cum ea. V I. quod habeantur duæ aquæ & quod lixiuia ponantur per illas, & illa quæ nõ turbatur eſt optima. V I I. quod habeantur duo panni æquales, & quæ citius exiccabitur illa aqua erit melior. V I I I. quod ponantur duæ aquæ in ſtatera, & quæ leuior eſt in pondere, illa eſt melior. I X. conditio eſt quod non tranſeat per conductum de plumbo vel alio metallo. Aliæ conditiones ſuperius dictæ ſunt. De vino autem eſt intelligendum, quod cum loquimur de vino, intelligimus de optimo, ſcilicet quod non ſit vinum album, ſubtile, viride, debile, ſicut ſunt vina quæ creſcunt in Francia & montanis, & quod non ſit vinum Græcum, nec de vua china, nec de Cypro, nec de vuis Engadi, nec ſit vinum antiquum, nec nouum, ſed ſit citrinum vinum in colore, mediocre in ſubſtantia, odoriferum, bene maturum, ſicut ſunt vina quæ creſcunt

commu-

communiter in monte Pessulano, & vt plurimum in tota prouincia Narbonensi, & talia sunt in diuersis gradibus, sicut fecimus mentionem communem de hoc in libello nostro de gradibus versus finem.

XII.

Vtrum retentio anhelitus faciat ad retentionem superfluitatum?

Et dicitur quod sic, nam simile est de somno & de retentione anhelitus, sed in somno retinentur superfluitates, quod patet, quod somnus longus est multum nociuus, & multum nocet somnus in principio febrium interpellatarum. Sed ita est, quod in retentione anhelitus fit reclusio caloris vel retentio, & spiritus ad intra, & per consequens aliarum superfluitatum, cum sit motus ad intra, quare relinquitur [*quod*] in retentione anhelitus non euacuabuntur superfluitates. Oppositum dicit Gal. in de regimine sanit. Dico, quod retentio anhelitus, est vnus modus conuenientissimus ad expellendum superfluitates seu nociua, sicut exercitium, & potissimè in tempore pluuiali, & in viris magni ponderis, qui non habent oportunitatem ad expellenda nociua. Modus autem duplex est. Primus, quoniam cum retinetur calor & spiritus, quod fit in retentione anhelitus, tunc subtiliat superfluitates, quæ subtiliatæ

liatæ de facili euaporantur. Secundus modus, quoniam cum retinetur anhelitus, tunc transit ad musculos & dilatat eos, & ita excitat virtutem expulsiuam, quæ suscitata superflua expellit, & quod hoc sit verum, declaratur per duo. Primum est, quoniam in habentibus clibanum pectoris strictum naturaliter, tunc à principio, secundum Gal. competit retentio anhelitus, vt illa membra magnificentur, si igitur facit ad magnitudinem ossium & neruorum, multò fortius ad expulsionem superfluorum, valet igitur sicut exercitium. Præterea hoc patet, quoniam cum aliquis est rheumaticus, si retinet anhelitum, & postea expellat vsq; ad caput, & deinde exeat per nares, hoc maturat rheuma, & expellit superflua, quare patet quod retentio anhelitus est vnus modus bonus, & conueniens ad expellendum superflua & nociua, & quod in somno superfluó sunt retenta, si non est alia oportunitas exercendi anhelitus statim retineatur cum fortitudine, & multum iuuabit. Sed est sanè intelligendum, quod retentio hæc voluntaria non debet esse nimis continuè prolixa, quod secundum Gal. aliqui suffocati sunt, fiat ergo paulatiuè & discontinuè quantum ad vnam anhelitus retentionem continuam. Et cum arguitur, dico quod non est simile, quoniam licet à principio anhelitus moueatur ad intus & retineatur, & per consequens calor & spiritus, & alia, nihilominus
post

post ingressum fiat expulsio, quod musculi dilatantur, & quod superflua subtiliantur. Et quod hæc retentio semper sit cum quadam expulsione violenta vel versus ventrem, vel versus caput, & imò non remanet in interioribus motus, sed fit semper ad oppositum.

XIII.

Vtrum ille qui vsus est nimio coitu, debeat in aqua frigida balneari?

Et videtur quod non, quod simile est de Athletis, & his qui nimis coitu sunt vsi, cum in quolibet multa resolutio sit facta. Sed in Athletis secundum Gal. non competit balneum aquæ frigidæ, quare in illis qui nimio coitu sunt vsi, non competit. Item videtur hoc rationabile, quoniam ipsi sunt debiles & rari, & aqua frigida penetrabit ad interiora, & sic magis debilitabuntur, quare. Oppositum dicit Gal. in de regimine sanitatis. Dico quod coitus superfluus, aut venit propter syncopen aut propter stuporem aut non, sed venit propter debilitatem sensuum [*& virtutum salua radice*] virtute salua in radice. Nunc autem primi non debent balneari, quod timendum esset de casu virtutis, & totali prostratione. Secundi tamen bene possunt in æstate media in aqua fluminis calefacta propter solem, & quod ibi parum morentur, hoc autem fit vt pori claudantur cum temperamen-

peramento, & quod calor retineatur qui erat exhalatus & debilitatus. Securior tamen via eſſet, ſicut dictum eſt in ſumma, quod irroretur facies, & fomententur extrema cum aqua roſarum, muſcat. & quod accipiantur roſæ, violæ, nenuphar. bugloſs. & ſandali, & quod ponantur in ſacculo, & quod irroretur totus ſacculus aqua roſ. muſchata, & quod odoretur. Et quod ſi neceſſe fuit, quod ſuper pectus apponatur, niſi fuerit homo nimis extenuatus. Et cum arguitur de Athletis, dico quod non eſt ſimile, quoniam illi non amiſerunt tantum de humido naturali & ſanguine, cum ſanguis expellatur in ſuperfluo coitu ſecundum doctrinam doctorum. Ad ſecundum dico, quod ſi eſſet cum tanta debilitate, non competeret. Ad Gal. dico, quod multa erant ſibi licita, quæ non ſunt nobis licita pro tanto, quod certius & melius cognoſcebat virtutem, & imò præcipit in De ingenio, facere phlebotomiam vſque ad ſyncopen, nobis autem non expediret, quoniam melius eſt & tutius, quod phlebotometur bis vel ter, vel amplius, quàm ſi poneremus nos in illo periculo. Similiter eſt hic tutius, & forte melius eſt quod fiat cum aqua roſ. quam cum aqua frigida.

XIIII.

Vtrum balneum aquæ frigidæ impediat augmentum?

Et videtur quod non, quod illud quod fortificat virtutem non impedit augmentum, sed potius facit ad augmentum, quod virtutis est augmentare. Sed balneum aquæ frigidæ fortificat virtutem, cum ex balneo aquæ frigidæ retrahatur calor ad interiora, quare. Præterea videmus piscatores & marinarios, & consimiles, & pueri eorum, quasi continuè nudi per totam æstatem [*ætatem*] stant in aqua vt addiscant natare, & ex alia parte videmus eos magnos, fortes, musculosos, hoc autem non esset si balneum aquæ frigidæ impediret augmentum. Oppositum dicit Gal. in de regim. sanitat. Dico, quod balneum aquæ frigidæ impedit augmentum, quoniam ad augmentum duo sunt necessaria, scilicet fortitudo virtutis impellentis nutrimentum ad tres diametros proportionales, & cum hoc dilatatio naturæ, rarificatio pororum, vt nutrimentum posit disseminari & extendi per omnia foramina. Nunc autem quod balneum aquæ frigidæ claudit poros, imò impedit omnem dispositionem ex parte pasi, quare relinquitur quod balneum aquæ frigidæ impedit augmentum constringendo poros, similiter balneum aquæ nimis calidæ impedit augmentum, cum habeat corrugare poros secundum Galenum. Exercitium autem temperatum, & balneum aquæ calidæ temperatæ, faciunt ad augmentum, cum ista faciant ad dilatationem pororum,

rum, & ita faciunt ad augmentum, quoniam nutrimentum poteſt diſſeminari vſq; ad tres diametros proportionales, & imò Gal. præcepit, quod nullus audeat balneari in aqua frigida vſq; ad XXI. annum, quoniam tunc vt plurimum factum eſt augmentum, & in hoc conuenit Gal. cum Auicen. Quoniam Auicenna non præcipit ieiunium niſi poſt XXI. annum, & reddit cauſſam, ne impediatur augmentum. Et tunc cum arguitur, dico, quod in augmento non ſolum eſt neceſſarium, quod virtus ſit fortis, ſed etiam quod paſſum ſit obediens. Nunc autem balneum aquæ frigidæ redderet materiam indiſpoſitam, & quod dicit poſtea, quod videmus piſcatores &c. Dico, quod tales fortiter exercitantur, & quod impedit balneum, emendat exercitium, Et forte illi tales eſſent maiores & fortiores, niſi in aqua frigida balnearentur, niſi ſaltem poſt XXI. annum.

XV.

Vtrum balneum aquæ feruentis competat in Athletis & pugnatoribus, & in illis qui nimio & violento exercitio laborauerint?

Et videtur quod non, quoniam tales deſiccati & ſupercalefacti ſunt, ſed tale balneum calefacit & deſiccat, quare tale balneum non competit. Item in tali exercitio liquefacta ſunt ea quæ dolorem laborioſum faciunt[*inducunt*]

ſed balneum ita calidum claudit poros, & ita retinet illas ſuperfluitates, ſed talia competunt, quare &c. Item talis aqua inducit vigorem ſecundum Gal. in de Morbo, & ita eſſet timendum de febre, quare. Item, Nónne temperata remouent laſsitudinem, quare. Item, Nónne balneum aquæ frigidæ magis reuocaret calorem, quare. Oppóſitum dicit Gal. ſecundo de regimine ſanorum, qui dicit, quod balneum aquæ feruentis competit Athletis, Reſpondeo, & primo dico quod ego facerem, vnde dico quod ego facerem fomentationem aquæ calidæ à cubito inferius, & à genu inferius, vbi eſſent roſæ viol. & nenuph. & camomil. ad remouendum laſsitudinem & fatigationem, & vt melius dormirem, & hoc facerem duobus vel tribus diebus cum temperata fricatione, deinde balnearem eum in aqua competenter calida, & quod vteretur diæta temperata, ac tantum quod maior eſt Gal. autoritas quàm tota mea proſpicacitas, Imò ſi littera Galeni eſt vera, ſequar dicta eius. Dico ergo, quod Gal. appellauit aquam feruentem, quæ eſt ita calida, quod homo à principio poſſit cum delectatione ſuſtinere, licet poſtea cum aſſueuerit aliquantulum ſatis tolerabiliter delectetur in illa aqua, & tunc dico, quod tale balneum ſatis competit pro tanto quod ſua caliditate vaporare facit humiditates, quæ ſunt iuxta cutem, & ratione humiditatis remouet laſsitu-

laſsitudinem. Et quod aqua eſt calida, claudit poros corrugando, & ita retinet calorem naturalem. Nunc autem ſi fieret cum aqua frigida, timendum eſſet ne penetraret ad interiora, quod exercitium fuit nimis violentum, vnde licet competat aqua frigida exercitatis in ſole, tamen non eſt ſimile, quoniam iſtud exercitium fuit violentum valde in vltimo, & ita nimia fricatio & nimia debilitatio, aqua calida in exceſſu, ſicut dictum eſt, retinet calorem corrugando poros, & cum hoc non moratur diu, nec aqua temperata competeret, quod ſemper reſolueret virtutem, & non confortaret, imò tale balneum eſt melius. Et cum arguitur, quoniam calefacit & deſiccat, dico, quod modica ſit mora, & cum hoc magis humectat quam deſiccat propter retentionem caloris naturalis, quæ omnia reficit cũ pori clauduntur. Ad ſecundum dico, quod non retinentur, quod talia ſunt prope cutem, & primo aduentu exhalantur, vel poſſem dicere, quod aliquæ fricationes leues præceſſerint, quæ fecerunt ad exhalationem, vel poſſemus dicere, quod maius eſt iuuamentum in retentione caloris. Ad aliud dico, quod non eſt tanti caloris, ſicut prætendit vocabulum, quod nec poſſet ſuſtinere, nec eſſet obediens, ſed fuit quidam modus loquendi, ſcilicet, quod aqua eſſet feruens quaſi calida vltra temperamentum, vel primo occurſu videtur eſſe feruens licet

non esset, quod cum aliquantulum esset assuetus, & ita non inducit, nec rigorem, nec febrem. Ad alia duo solutum est in positione.

X V I.

Vtrum liquefactio carnis & pinguedinis possit esse caussa doloris vlceratiui?

Et videtur quod non, quod non habet naturam vlceratiuam nec pungitiuam, nec actiuam, sed magis passiuam & mitigatiuam, dolorem vlceratiuum non caussabit, hoc autem est caro dissoluta cum sit humida & pinguedo similiter, quare talium dissolutio non caussabit talia. Item in hectica febre talium est dissolutio, & tamen non est dolor vlceratiuus, nec dispositio vlceratiua. Oppositum dicit Gal. secundo de regimine sanitatis, dico, quod exercitium forte dissoluens carnem & pinguedinem caussat dissolutionem vlceratiuam pro tanto, quod quodammodo soluitur continuum. Nunc autem virtus tactiua appræhendens suam dislocationem, appræhendit suum contrarium, cum virtus tactiua sit multarum contrarietatum, & potissimè illarum quæ corrumpunt suam harmoniam, & ita caussatur dispositio laboriosa vel vlceratiua. Vel possem dicere, quod aliquis humor acutus miscetur cum his quæ [*actiuè*] caussant hunc dolorem. Vel possem dicere, quoniam ista cum veniant

ad mem-

ad membra, licet non habeant virtutem actiuam ratione suarum qualitatum, habent tamē ratione materiæ replendo distendendoq́;, & ita vlcerant. Vel potest dici, quod talia non possunt dissolui nisi à calido affixo, & ita cum veniūt ad alia membra, illud calidum affixum vlcerat. Fit ergo dispositio laboriosa, aut ratione membri à quo istud dissoluitur, & tunc caussa extrinseca est caussa principalis. Aut fit ratione membrorum per quæ transit, & ita ista dissolutio est caussa immediata. Cum igitur ratione alicuius laboris extrinseci dissoluitur caro & adeps, dolor vlceratiuus caussatur. Et tunc ad primum dico, quod licet non habeant rationem qualitatum, habent tamen rationem quantitatis materiæ, vel illius cui adiungitur, vel concomitatur, vel fit gratia membri à quo dissoluitur. Et cum arguitur, de hectica dico, quod non est simile, quod illud fit paulatiuè, hoc autem fit subitò. Vel possem dicere, quod in hectica est mala complexio æqualis, hic autem est diuersa, quare &c.

XVII.

Vtrum aliquis posset per artem conseruari in regimine suæ sanitatis sine errore, ita quod esset longæuus, & veniret ad terminum senectutis?

Et videtur quod sic, quoniam si aliquis regatur sine arte, & sine errore, viuat multò for-

tius cum arte,ſed aliqui ſunt qui vixerunt centum annis & amplius ſine omni arte, ita quod nunquam acceperunt medicinam laxatiuam, nec fecerunt phlebotomari. Si ergo ſunt poſſibilia ſine arte, multò fortius cum arte. Item Galenus dicit, quod puer temperatus mouetur cum indiget, & cum ei ſufficit nullo iubente quieſcit. Si igitur corpus temperatum per ſe eſt ſufficiens in regimine ſanitatis ſine errore, multò fortius cum arte. Item regimen ſanitatis conſiſtit in debita applicatione ſex rerum non naturalium, ſed iſta poteſt & ſcire & facere medicus ſine errore, quare regi poteſt aliquis ſine errore, vt patet. Oppoſitum dicit Galenus. Dico quod duplex eſt error modicus, ſed & ſine tali non eſt poſsibile, quoniam quantitas offerendorum certis litteris denotari non poteſt, & cum ſuperuenerit aliqua qualitas aëris ſubito cui obuiare non poſſumus, vel aliquod accidens animæ & multa conſimilia, quæ ſunt innumerabilia. Et propter hoc dicit Galenus, quod non erat poſsibile regimen ſine errore, & imò ſubiunxit ſtatim, Regimen rectificatiuum illius erroris ita quod ille error fuit modicus, & non fecit lapſum multùm nobilem, faceret tamen ſi continuaretur & non corrigeretur, & imò ſubiungit Gal. regimen rectificatiuum. Nunc autem ſecundum intentionem Gal. qui vult eſſe longæuus, oportet ipſum eſſe liberum ab omni occupatione ne-
ceſſaria,

cessaria. & secundo oportet, quod sciat artem sanatiuam, aut aliquid loco eius, & imò dicit Gal. Quod qui ignorat artem sanatiuam, non potest peruenire ad terminum mortis naturalem, imò morietur ante tempus, & imò dicit Gal. Quod admirabilis est scientia sanatiua, quod facit hominem viuere senem, & sine ægritudine vsq; ad vltimum senectutis. Et imò dicit Gal. Quod postquam sciuit artem sanatiuam, non incurrit aliquam ægritudinem, nisi aliquando ephemeram, & hoc habuit propter laborem quem habuit in visitatione amicorum aut propter rempublicam. Nobilissima est ergo ars sanatiua, quæ ita feliciter facit hominem viuere, & tamen nullus est qui velit medicum in tempore sanitatis, imò quod est magis abominabile, medici nostri temporis non curant scire regimen sanitatis, quod non videtur eis, quod non sit ibi lucrum, sed in curatione morborum & potissimè febrium sunt bene solliciti & attenti. Et per ista patet solutio rationum. Ad primam dico, quod aliqui sunt ita bene dotati in naturalibus, quod melius viuunt sine arte quàm alij cum arte, & isti sunt de raro contingentibus, & imò si accidat eis aliquis error ipsimet corrigunt aut cum abstinentia, & similibus, licet ergo errauerint multùm, tamen viuunt propter bonitatem naturæ corrigentis. Ad secundum dico, quod licet corpora temperata bene se regant, in multis tamen non

possunt quin peccarẽt in quanto ac in quali, & imò arte indigent. Ad vltimum dico, quod de se, quoniam est de natura artis bene est possibile, quod fiat regimen sine errore, sed multa sunt quæ nõ subijciuntur arti, vt quod patiens non audiat aliqua sinistra, aut quod non irascatur, aut quod veniat pluuia multa, & consimilia multa quæ ferè sunt innumerabilia, Ars tamen satis corrigere docet.

XVIII.

Ponamus, quod aliquis transeat noctem insomnem, & ex hoc & quibusdam alijs cibus remansit indigestus circa primas venas, vtrum competat exercitium?

Et videtur quod sic, quoniam exercitium confortat calorem naturalem, & calor confortatus digerit cibum, quare uidetur competere. Oppos. uult Gal. Dico sicut dictum est superius, quod in crapula & in indigestione cibi versus primas venas, quæcunq; fuerit caussa, non competit exercitium, nec phlebotomia, nec balneum, nec fricatio, nec pharmacia, sed quies, abstinentia, & somnus, & diatrion pipereon, & omnia sunt superius dicta. Exercitium enim quantumcunq; temperatum, non competit à principio, quod dissoluerentur illi humores crudi, & irent ad membra, & membra nutrirentur tali humore, vel nutrimẽto, & hoc

esset

eſſet potiſsimum. Et cum arguitur, quod calor confortaretur, dico quod verum eſt, quando fit vbi oportet & ſicut oportet, ſed hic non eſt ſic, imò magis debilitatur & ſuffocatur propter humorem crudum commotum & diſſolutum, vnde ſicut aqua extinguit ignem, ita humor crudus calorem naturalem.

XIX.

Vtrum humor aggregatus in longo tempore poßit reduci in modico tempore?

Et videtur quod ſic, tantum facit agens forte, & in modico tempore ſuper materiam indiſpoſitam, quantum agens debile ſuper diſpoſitam. Sed agens debile in modico tempore reducit materiam collectam in modico tempore, quare ſimiliter agens forte in modico tempore reducit materiam collectam in multo tempore. Item in materia collecta in longo tempore, natura ſemper digerendo alias fuiſſet ocioſa, & ſi digerendo & aſsimilando, tanto facilius expellitur, quare ſecundum hoc videtur, quod etiam facilius egit natura in lõgo tempore plus quàm in modico tempore, quare facilius reducitur propter longiorem actionem ſuper materiam. Oppoſ. dicit Gal. in regim. ſanit. dicit quod humiditates ex longo tempore collectæ tardè curantur, ex modico modicè. Dico quod humiditates ex multo tempore collectæ tardè

curan-

curantur, cuius rationes multæ ſunt. Prima quoniam tales humiditates ſunt imbibitæ in membro, & imò ſunt difficilis eradicationis. Secunda ratio eſt, quoniam non eſſent antiquatæ, niſi eſſent groſſæ & viſcoſæ, & tales de difficili remouentur, dato quod eſſent ex modico tempore. Tertia ratio eſt, in tali caſu mala complexio eſt ex illa materia in membro adæquata, & talis complexio de difficili eradicatur aut nunquam, quare ſummè difficile eſt, quod materia collecta ex multo tempore poſſit eradicari. Quarta ratio eſt, quoniam talis materia ratione longitudinis facta eſt quaſi naturalis & membro amicabilis, ſicut patet de illa quæ longo tempore nutrita eſt ex veneno, & imò tarde eradicatur ſicut naturalia, quoniam facta eſt ſicut altera natura. Et cum arguitur, dico quod medicamētum directè nunquā poteſt proportionari, quod quantitas offerendorum certis literis denotari non poteſt, & ſi ſit fortius, natura nō ſuſtinet repentinas mutationes, ſed ponamus quod medicamen eſſet proportionale vel fortius, dico, quod tanta eſt repugnantia, ex parte tamen paſſi non eſt poſſibilis reductio. Ad ſecundum dico, quod natura nihil agit, Quoniam natura aſſimilatur regi fatuo, nō enim mouetur niſi mota, & imò quod non lædebatur natura, imò natura non mouebatur ad digerendum, imò magis intendebatur dyſcraſia. Et hoc eſt [*contra*] illos qui pro-

promittũt ſuper caput ſuum ægritudines chronicas curarȩ in modico tempore, &c.

X X.

Vtrum exercitium in humore putrefacto generet febrem?

Et videtur quod non, quia quod aufert febrem, non generat. Exercitium eſt huiuſmodi, quoniam aperit & diſſoluit & euaporare facit, nunc autem nihil eſt, quod ita inducat febrem, ſicut cum materia euaporari non poteſt, ſed eſt concluſa & coarctata. Et hoc eſt quod dicit Gal. in de inge. Putrefactio fit in corporibus humidis & calidis cũ diſſolutione caruerint, ergo cum exercitium faciat ad diſſoluendum ſeu diſſolutionem, nullo modo cauſſabit febrem. Præterea illud quod acuit calorem naturalem non cauſſat febrem, cum calor habeat rectificare & curare, ſed exercitium eſt eiuſmodi, quare. Oppoſ. dicit Gal. in reg. ſanitatis. Dico, quod cum humor eſt quietus quantumcunq; malitioſus non nocet, ſicut patet in illo in cuius pollice quieſcebat humor corruptus malus, & cum mouebatur inducebat epilepſiam. Et hoc apparet cum materia venenoſa quæ cum quieſcit non nocet, & cum mouetur vadit ad cor & interficit, ſic eſt in propoſito. Materia putrefacta cum quieſcit, non lædit, ſicut patet in recidiuis & in quibuſdam

apoſte-

apostematibus, Ponamus ergo aliquam materiam putrefactam actu, siue intra venas siue extra, longè tamen à corde, & quod ista materia sit quieta. Dico tunc quod illa materia non facit febrem, pro tanto quod non poterat calefacere cor, calefaciendo membra, quę sunt inter mineram & cor pro tanto, quod materia distat à corde, vt suppositum est, nec poterat calefacere cor per viam effumationis quod quieta est materia, vt dictum est. Nunc autem si moueatur, tunc calor poterit ire ad cor, aut quod calefit pars post partem, aut quod fumus horribilis vadit ad cor. Nunc autem exercitium calefacit & commouet materiam, & dissoluit & ita fumus horribilis & putridus vadit ad cor, & ita facit febrem, & pro tanto in corporibus immundis non competit exercitium, & non est hoc mirabile, si motus ab exercitio sit caussa febris, quoniam radius caloris naturalis irradians, & digerens materiam in minera inducit febrem & plus, quoniam horribilis fumus mineræ commotus, per calorem naturalem ascendit per radium caloris vsque ad cor, & ita facit febrem. Et hoc est quod testatur Galenus in fine primæ particulæ de crisi exemplificans in anxio, quoniam cum cessasset febris, crisi tamen imperfecta, & materia febris putrida remanente, calor naturalis irradians materiam induxit recidiuam, In corporibus ergo immundis competit quies & paruitas cibi & mun-

& mundificatio corporis. Et cum arguitur, quod iam diſſolutio impedit febrem & putredinem &c. verum eſt ante putredinem, ſed poſt augmentat, quod inducit ebullitionem. Ad ſecundum dico, quoniam licet augmentet calorem, tamen calor non poteſt tunc mundificare propter ineptitudinem materiæ, licet ſi naturaliter corrigat & digerat in chylum, & talis augmentatio per exercitium non competit in tali caſu, ſicut dictum eſt.

X X I.

Vtrum cibus malæ qualitatis poßit ita bene digeri, quod poßit generari bonus humor?

Et videtur quod non, Quoniam malus humor non dicitur niſi propter malum humorem quem generat, & propter malum effectum, ſi autem generaret bonum chymum, tunc eſſet oppoſitum in obiecto. Item Iſaac dicit, quod ſicut ex groſſo cibo, non poteſt fieri cibus ſubtilis, ita nec ex malo bonus, quare, &c. Oppoſitum videtur dicere Gal. Quoniam malus cibus in parua quantitate ſumtus, poteſt bene digeri, ſicut exemplificat de illo qui ſumſerat malum cibum de mane, & poſtea voluit cœnare, & ita fuit digeſtus propter paruitatem. Dico, quod malicia cibi eſt duplex, vel ex parte qualitatis vel ſubſtantiæ. Si ex parte qualitatis,

tatis, vt quod nimis calidus aut frigidus, & talis potest corrigi. Si autem error fuerit ex parte substantiæ, vt quod nimis grossus, aut nimis viscosus, aut quod venenosus, & talis non potest absolutè corrigi nisi forte ad tempus finaliter, tamen apparet eius effectus maliciosus in corpore. Ponamus ergo quod aliquis habeat stomachum calidum, & epar, & virtutem digestiuam bene fortem, tunc ponamus, quod comedat lactucas in temperata quantitate. Tunc dico quod talis malicia corrigitur & generatur exinde bonus sanguis & laudabilis, & augebit calorem naturalem quantitatiuè, sicut declarat Galenus in de complexionibus, pro tanto quod venter frigidus omnino victus est propter victoriam digestiuæ, & ita est de cibis calidis cum vincitur pars eius calidior, & ita generat sanguinem temperatum. Quando autem est peccatum in substantia & virtus digestiua est fortis, & iste cibus assumtus est in parua quantitate, tunc corrigitur ad tempus, quoniam non nocet de præsenti, nec in prima nec secunda, nec tertia digestiua, sed tamen omnino corrigi non potest, quod patiens omnino est inobediens, & non potest corrigi propter inobedientiam siue repugnantiam materiæ siue substantiæ, & finaliter oportet quod interficiat ante tempus si diu continuetur & non rectificetur. Et tunc ad primum dico, quod illud est verum absolutè de malicia cibi in sub-

in ſubſtantia, vel poſſum dicere, quod licet faciat ad malum de facili, tamen eſt corrigibilis ratione paruæ quantitatis, quoniam quod abſtinuit & bene dormiuit, & in craſtinum fuit fricatus, & exercitatus, & balneatus, imò ſi aliquid de illo cibo remanſit, fuit correctum & euaporatum, & potiſsimè etiam quod non fuit cibus ille continuatus, quoniam ſi ex quolibet malo cibo haberemus nocumentum, citò infirmarentur homines, imò etiam modicum venenum per hunc modum poteſt corrigi ratione paruæ quantitatis, & quod nō continuatur, quod ſatis erit tolerabile. Ad Gal. dico, quod non loquebatur de peccato ſubſtantiæ, ſed qualitatis, & imò poteſt corrigi, vt dictum eſt, & bonus ſanguis poteſt generari per modum dictum, Non continuet igitur aliquis malum cibum, & ſi acciderit ei ſemel ſtudeat illum corrigere.

XXII.

Vtrum ſenes debeant regi per contraria vel ſimilia?

Et videtur quod per ſimilia. Gal. ſcribit octauo de ingenio capite finali, quod ætas & complexio ſemper per ſimilia debent regi, & dicit hoc autoritate Hipp. Et cum hoc Gal. adducit talem rationem, naturalia per ſimilia debent conſeruari, ſed iſta ſunt naturalia,

 quare

quare per ſimilia cõſeruabuntur. Senectutem autem nominat vltimam ætatem, quare ſenes per ſimilia regentur. Item quilibet debet regi per illud quod ſibi melius eſt, ſed melius eſt ſeni, quod regatur per ſimilia quam per contraria, quare. Maior patet de ſe, Minor declaratur, Si ſenes regantur per ſimilia, non alterabuntur, quoniam ſimile in quantum ſimile [*in ſpecie & natura*] non alterat nec tranſmutat, ſed in eodem conſeruat, cum nullum agens poſsit agere vltra ſuam ſpeciem. Si autem regantur per contraria, cum talia ſint calida & humida, alterabunt, & ſanguinem generabunt innaturalem ipſi ſeni cum non ſit proportionalis complexioni ſuæ, & ita putrefit, quoniam omnis humor extraneus, qui non de naturis corporum eſſe comprobatur, neceſſe eſt, vt putrefiat & corrumpatur, ſicut ſcribit Galenus ſuper primo Aphor. Quæ relinquuntur in morbis poſt criſin. Et cum hoc ſi complexio calida & humida eſt putrefactibilis multò fortius, & humor & potiſsimè cum non ſit omnino naturalis illi ætati, & quod ſecum portat duo principia putrefactionis, humidum quod eſt materia, & calidum [*quod eſt*] agens ſecundum Gal. & videtur quod calidum & humidum non ſunt ſibi conuenientia per contraria, igitur non regantur. Item calida & humida ſunt reductiua, ſed ſenex nullo modo eſt reducibilis, quare contraria, calida & humida

non

non competunt, & confirmatur illa ratio, Nullum impoſsibile eſt eligibile, ſed ſenes non poſſunt reduci per calida & humida, calida enim & humida reducuntur, quare non ſunt eligenda, nullo ergo modo ſenes ſunt regendi per contraria. Præterea ſani ſunt conſeruandi per ſimilia, ſecundum Gal. in regim. ſanit. Sed ſenes ſunt ſani, quare per ſimilia debent regi. Minor declaratur, quod ſcribit Galen. verſus principium libri ſui de ſanitat. Vnumquenq; dicimus infirmari cum præter naturam ſui eſt, non tamen alteri comparatur. Sed ſenes non ſunt præter naturam ſui, ſcilicet, quæ debetur ætati in quantum ſenex eſt, quare videtur quod ſit ſanus, poſtquam videt & audit, & ita de omnibus alijs quæ debentur ætati, relinquitur igitur, quoniam ſicut ſani reguntur per ſimilia, ita & ſenex. Item ſcribit Galenus verſus princip. tertiæ particulæ de interioribus. Quod quantum aliquis amittit de naturalibus, tantum amittit de ſanitate & perfectiõe. Sed ſi ſenex regeretur per contraria amitteret naturalia ſua, cum natura ſenis ſit frigida & ſicca, & natura contrariorum ſit calida & humida, quare talia non competunt tanquam illa quæ naturalia corrumperent, quare, &c. Item ſimile videtur de regione & ætate, ſed ita eſt de regionibus, quod habitans in aliqua regione acquirit ſibi complexionem propriam, & ſibi cõfiguratam ſecundum naturam aquarum

& ſtellarum, & aliarum rerum per quas bene viuit, quare ſi amittat, infirmabitur aut morietur, & hoc eſt quod dicit Auicenna. Si enim Sclauus qualificetur qualitate Indi, infirmabitur aut morietur, ergo &c. Similiter ergo videtur in ætatibus, quælibet enim ætas habet complexionem propriam quæ debetur ætati, à qua ſi remoueatur, aut infirmabitur, aut morietur. Propria autem complexio ſenis ſibi configurata, eſt complexio frigida & ſicca. Sed ſi darentur contraria, tunc illa complexio alteraretur, & ita contingeret ſemen infirmari aut mori, quare nullo modo per contraria debet regi. Oppoſitum huius videtur, Accipio canonem Gal. in regim. Omne immoderatum debet reduci ad moderatum ſibi contrarium. Sed ſenes immoderatè ſunt frigidi & ſicci, calida autem & humida ei contrariantur, quare relinquitur vt videtur, quod ſenes per contraria calida & humida debent regi, & poteſt confirmari, quoniam ſenectus ſecundum Gal. eſt ſemita ad mortem. Calida verò & humida ſunt principia vitæ, quare calida & humida competunt tanquam illa, quæ mortem impediunt & vitam tribuunt. Circa iſtam quæſtionem eſt intelligendum, quod adhuc vt ſolutio habeatur, oportet nos præſupponere tres Baſes, quarum prima erit iſta. Senes enim ſunt frigidi & ſicci, & habent modicum de calore, & ſpiritu, & ſanguine, & habent poros conſtrictos

ſtrictos & corrugatos, & habent digeſtiuam debilem, & cum hoc intelligendum eſt ſecundum intentionem Gal. in de regim. ſanitatis in particula tertia verſus principium ad duas columnas, & hoc intelligendum, quod liber iſte non diuiditur niſi per tres particulas, & ita intelligo in toto iſto opere, vbi enim dicitur, quod ſenes non ſunt ſani abſolutè, non enim habent ſanitatem aceruatam perfectam, quoniam ſemper ſunt cum querela, & imò abſolutè ſani non ſunt iudicandi, nec ſunt infirmi, quoniam poſtquam vident & audiunt, & alia faciunt iuxta conditionem ætatis, infirmi non ſunt, ſed habent ſanitatem quam ſenes habere poſſunt. Hæc autem diſpoſitio vocatur neutralitas, non ſunt igitur ſani ſenes nec ægri, ſed neutri, & hoc dico ſecundum quod neutri ſunt conualeſcentiæ. Et declarat Gal. Quoniam cum aliquis habet magnam ægritudinem & conualeſcit, tunc eſt neuter, & tales habent digeſtiuam debilem, & habent modicum de ſanguine, & calore, & ſpiritu, & imò aſsimilantur, quo ad regimen neutro conualeſcentiæ, non neutro decidentiæ, licet ſimpliciter & abſolutè ſint ſenes neutri decidentiæ, qui ad regimen tamen non aſsimilantur neutro conualeſcentiæ ſecundum Gal. & hoc eſt de prima Baſi. Secundò eſt intelligendum, quod quoddam eſt regimen reductiuum, & quoddam præſeruatiuum, & quoddã reſumtiuum,

& enutriens, & quoddam conſeruatiuum. Regimen reductiuum eſt illud, quod eſt in gradu oppoſito, vnde ſi ſit dyſcraſia frigida, & ſit in tertio gradu, competunt ſibi calida & humida in tertio gradu, quoniam poſtquam volumus reducere, ſi addimus vltra gradum, fieret nimis ſubita & repentina mutatio, ſi citra gradum fieret nimis tarda reductio, ſed cum eſt in gradu oppoſito, tunc fit optima proportio. Diæta autem præſeruatiua, ſiue regimen præſeruatiuum fit per contraria citra gradum. vt quando volumus præſeruare ne in deterius labatur corpus, vnde ſi dyſcraſia fuerit in tertio gradu, dentur ſibi contraria in primo, &c. Regimen autem conſeruatiuum, fit rectè per ſimilia, vnde ſi volumus conſeruare dyſcraſiam frigidam & ſiccam in ſecundo, debemus dare calida & humida in ſecundo gradu ne talia intendant, cum nullum agens agat vltra ſuam ſpeciem, ſicut dictum eſt, licet contrarium dicat Hali in Teg. Diæta autem reſumtiua & enutriens, appellatur diæta temperata, ſed calida & humida vergens ad temperatum ſeu temperata, vergens aliquando ad calidum & humidum. Et talia de facili digeruntur, & penetrant, & reſumunt, & confortant, & talis diæta competit debilibus & languidis depauperatis calore & ſpiritu, & hæc ſufficiunt de ſecunda Baſi. Tertiò intelligendum ſecundum doctrinam Galeni 7. de ingenio.

genio. Quod omnis mala complexio eſt reducenda, niſi vitæ neceſſaria impediant, & ideo animaduertendum ſecundum Gal. primò de regimine ſanitatis, quod non ſolum complexio temperata abſolutè debet regi & conſeruari per ſimilia, ſed etiam aliquantulum lapſa, quoniam abſolutè temperata forte non inuenitur, ſecundum Gal. niſi in ictu oculi. Omnis igitur complexio diſtemperata eſt reducenda, niſi impediant vitæ neceſſaria, ſicut verbi gratia. Aliquis faber eſt infirmus, & eſt phlegmaticus, dico quod melius eſt tali quod ſit phlegmaticus quam ſi eſſet temperatus, poſtquam non habeat vitæ neceſſaria niſi per illum modum, quod ratione complexionis reſiſtit caliditati ignis. Similiter ſi piſcator ſit colericus, non debet reduci quod reſiſtit frigiditati aquæ ratione caliditatis complexionis. Sanus ergo debet conſeruari & lapſus reduci. Et tunc vlterius diſtinguit Gal. in de ingenio, Cùm aliquis cuius complexio eſt lapſa ſi contingat quod cadat in ægritudinem, tunc aut tu incepiſti reducere aut non, & ſi ſic tu debes dare contraria, & ratione morbi, & ratione dyſcraſiæ. Si autem non incepiſti, tantum da contraria morbo, & conſimilia complexioni, quod tunc ergo licet complexio naturaliter lapſa ſtat, tamen loco naturalis vnde ſufficit reducere morbum, deinde morbo curato reducas, niſi occupatio vitæ neceſſarijs impediat. Nunc autem

ſenes & lapſi ſunt, & imò aliquo modo reducendi ſunt, & hoc de tertia Baſi. Iſtis autem viſis dico ad quæſtiones, quod ſenes non debent regi per ſimilia, nec per contraria, ſed per quædam quodammodo media. Media autem iſta ſunt reſumtiua & enutrientia temperata, talia ergo temperata citra gradum caliditatis eis competunt. Similia enim abſolutè eis non competunt, quod abſolutè ſani non ſunt, nec competunt abſolutè contraria, quod abſolutè infirmi non ſunt, ſed quod in neutrali diſpoſitione exiſtunt, imò ea quæ medio modo ſe habent, eis competunt, iſta autem ſunt vt dictum eſt, temperata, reſumtiua, & nutrientia, & imò ſecundum communem modum regendi ſunt ſenes, ſicut corpora neutra conualeſcentiæ, conualeſcentia inquam ex magnis morbis. Et imò animaduertendum eſt magis particulariter, quod frigida & ſicca non competunt eis, quoniam talia ſunt difficilis digeſtionis, & non reſumunt nec nutriunt, nec penetrant, & imò talia non competunt ſenibus, cum pori ſint conſtricti, & digeſtiua ſit debilis, ſicut declarabat prima poſitio, nec competunt calida & humida, quoniam talia ducunt ad oppoſitum, ſicut dicebat ſecunda poſitio. Si ergo dentur calida & humida in gradu, tunc reducetur complexio radicalis, ſcilicet fluens, quoniam hoc eſt impoſsibile. Si autem fluens ſit calida & humida, non poterit regi per radicalem

propter

propter elongationem, & deſtruitur fluens cum non regatur niſi virtute radicalis. Et imò videmus, quod ſenes qui vtuntur calidis & humidis in exceſſu, ſicut eſt lac, zinziber, diazinziber, cum fiſticis & pineis, incurrunt fortiſsimas febres & apoſtemata. Et hoc eſt, quod complexio fluens reducitur, & radicalis quæ reducitur, non poteſt digerere nec regere fluentem. Frigida ergo & ſicca, non competunt, nec calida & humida. Sed quod ſenes lapſi ſunt, ideo reducendi ſunt ſecundum tertiam poſitionem, ideo intelligendum, quod temperata, reſumtiua, & enutrientia, talia nunquam reducunt & præſeruant, & conſeruant, reducunt enim ad primam digeſtiuam, ſed præſeruant quantum ad ſecundam, conſeruant vero quantum ad tertiam. De prima digeſtiua patet, quoniam chylus generatus in ſtomacho, pertinet caliditati & humiditati, & ita quantum eſt de ſe, reducit ſaltem fluentem. Sed cum chylus factus eſt chymus in ſecunda digeſtiua, tunc præſeruat, quod nondum eſt frigidus & ſiccus. Sed accidit propter debilitatem digeſtiuæ, tunc præſeruat in quantum aliquo modo contrariatur, & ita defendit radicalem, vt non citò ruat. Cum autem cibus venit ad tertiam digeſtiuam, conſeruat quod iam virtute membri nutrimentum factum eſt frigidum & ſiccum, omnino ſimile membro, vnde ſecundum diuerſitatem virtutis diuerſifi-

ficatur humor ſecundum intentionem Galeni in de complex. vnde ex lactuca generatur ſanguis, calefaciens corpus cum venter frigidus eſt victus. Et ex cibis multum calidis generatur humor frigidus, ſicut apparet in crapulatis. Cibus ergo licet de ſe ſit temperatus, quod tamen complexio corporis ſit frigida & ſicca ad naturam illius tranſmutatur, & ita vnum & idem reducit, præſeruat, reſumit & conſeruat. Patet ergo, quod ſenes indigent inprimis aëre vernali temperato, & in alijs temporibus præparetur per artificium, licet complexio ſenis melius ſe habeat in æſtate quam in hyeme, ſicut dicit Gal. ſuper illo Aphor. tertiæ particulæ, Ætates quod ad regiones, &c. Nihilominus melius eſſet ſeni, ſi ſemper poſſet habere tempus vernale. Nunc autem ſecundum Gal. ver eſt ſaniſsimum, quod temperatum, non quod calidum & humidum, quoniam nulla complexio temporis calidi & humidi eſt ſalutifera ſecundum Gal. Imò omnino eſt putrefactibilis & peſtiferalis. Secundo competunt balnea aquæ calidæ dulcis, & quod ſint temperata, deinde eis competunt gallinæ, deinde lac & mel, & ita de alijs. Patet igitur ex omnibus iam dictis, quod nec ſimilia, nec contraria competunt ſenibus, ſed media, vt dictum eſt, & tunc ſecundum iſta poterimus euadere. Ad primum dico, quod ætates ſunt conſeruandæ, verum eſt, quando ſunt ſecundum naturam,

vel

vel possumus dicere quod verum est saltem in fine transmutationis illius animalis totius. Ad secundum dico, quod frigida & sicca nocent, & quod sunt indigestibilia, & foramina stricta sunt, vnde de se non transmutarent, sed per accidens propter multitudinem particularium repugnantium, vt visum est in prima positione. Cum dicitur de calido & humido, dico quod verum est [*nisi*] vbi vergunt ad temperamentum, & si daretur in gradu opposito, sed dantur longè citra gradum, & cum approximatione ad temperamētum, quoniam est possibile, & pro tali complexio fluens non nimis intenditur propter mordificationem frigidam. Et tunc ad tertium dicitur, quod calida & humida in excessu reducunt, sed repressa non saltem de quo sit curandum, & imò non eligenda impossibilia, quoniam temperata. Et si non possint reducere radicale, saltem fluens reducitur, & ex hoc multum præseruatur radicalis, & finaliter conseruatur. Ad quartum dico, quod senex est sanus, sanitate inquam, quæ debetur ei quæ semper est cum querela, vnde temperata non mutant complexionem suam naturalem, sed quodammodo præseruant, & quodam modo custodiunt. Ad quintum dico, quod si absolutè ponerentur contraria in gradu opposito, tunc verum esset, quod amitteret naturalia sua, sed hoc non fit valde longè citra gradum. Et quod arguitur,

vltimo

vltimo dico & concedo,quod complexio frigida & ſicca, eſt ſeni complexio naturalis, & melius eſt ſibi habere illam quam illam, quoniam omnis alia eſſet ſibi innaturalis, & potiſſimè quod in radice [*nec*] paulatiuè, nec aliquomodo poteſt reduci, imò omnia reducentia agerent citra complexionem fluentem, & illa quanto magis diſtat à temperamento radicaliter tanto deterius. Regimen ergo dictum non remouet naturalem omnino, ſed parum reducit parum, præſeruat parum,conſeruat & finit ea, quæ ſunt poſsibilia, ſicut in naufragio, quoniam lucerna parata eſt extinctioni,& imò detur omnis cibus temperatus in parua quantitate, ſed frequenter. Et ita omnes ſex res non naturales, applicari debent ſecundum temperamentum.

XXIII.

Vtrum lac competat ſenibus?

Et videtur quod non, Senes indigent calidis & humidis, ſicut ſatis declaratum eſt, ſed lac eſt frigidum,ſicut declarat Galenus quarta particula de ſimpl. Med. quare non videtur competere. Item lac eſt vnum de illis, quæ de facili putreſcunt & corrumpũtur, cum ſit valde paſsibile, ſed talia non competunt ſenibus, quare relinquitur, quod lac dare ſenibus, non com-

competit,nec dari debeat. Tertiò, lac eſt heterogeneum, quod ibi eſt ſubſtantia caſeata, ſeroſa & butiroſa, & talia heterogenea non competunt, vbi virtus eſt debilis, ſed hoc eſt in ſenibus, quare, &c. Oppoſ. dicit Galenus verſus finem ſecundæ particulæ de regimine ſanitatis. Dico ſecundum intentionem Gal. Quod lac ſummè competit ſenibus, imò aliqui cum lacte vixerunt centum annis,tamen oportet,quod bene digeratur in ſtomacho,& quod nullo modo ibidem caſeetur, ne conuertatur in ventoſitatem, nec inducat oppilationem, & imò illis qui habent venas anguſtas epatis, ipſis naturaliter non competit lac, nec illis qui habent virtutem ſtomachi debilem,& pro tanto ponitur ibi ſal & mel, vt non caſeetur, nec generet oppilationem,nec conuertatur in ventoſitatem. Et tunc competit,quod de facili digeritur & penetrat, & de facili mutatur. Sed nihil aliud debet dari, donec bene eſſet digeſtum in ſtomacho. Ad argumentum. Cum dicebatur quod eſt frigidum, dico, quod duæ partes ſunt frigidæ, ſcilicet ſerum & caſeus, & vna calida, ſcilicet butiroſa, & illa nutrit, & melius quàm ſi eſſet ſeparata, quod ſeroſitas iuuat ad penetrandum, & caſeitas confortat virtutem, & potiſsimè, ſi non eſt ſeparata, nec eſt ibi vnum niſi in virtute, & nõ in actu,quod ſi eſſet actu multùm noceret, hoc eſt enim quod plus timetur,quod in ſtomacho caſeetur.

Eſt

Eſt ergo calidum ſaltem, quo ad ſubſtantiam butyroſam. Ad ſecundum dico, quod præſeruatur à corruptione & putredine cum ſale & melle, & quod datur in corpore in quo bene digeritur, quod in alio non valeret, quod ſatis citò perciperet per grauedinem & corruptionem, vel torſionem, & ſimilia. Ad tertium dico, quod illa heterogenitas non eſt actu, ſed potentia, & per illam etiam magis valet, quoniam ſeroſitas iuuat ad penetrandum, butyroſitas mundificat per ſeceſſum & per vrinam, & caſeitas quæ eſt ibi in potētia, confortat membra debilia, quare, &c.

XXIIII.

Vtrum ætas pueritiæ ſit ætas temperata?

Et videtur quod non, Quoniam humidum excedit, & ita non eſt temperatum, nec in calore, nec in humido. Item, Ætas iuuentutis eſt magis temperata, quod melius digerit groſſa & ſicca, & ea quæ ſunt difficilis digeſtionis, hoc autem non facerent pueri, & ita virtus naturalis eſt magis temperata, & ſimiliter animalis, quod melius mouentur, & vitalis, quod maiores inſpirationes & reſpirationes habent, & cum hoc virtus intellectiua melior. Item, hoc etiam eſt de intentione Auicennæ, quoniam ætas iuuentutis eſt magis temperata. Oppoſitum

ſitum vult Galenus in regimine ſanorum particula tertia. Dico, quod ſi loquamur de temperamento virtutis naturalis pueri, ſunt magis temperati, quoniam melius digerunt, & potiſsimè humida, & ſunt ſecundum Auicennam meliores, hoc eſt, quoniam multùm appetunt, & multùm accipiunt, & non nocet eis, & ratio dictorum eſt, quoniam calor æqualis eſt in radice in puero, & in iuuene ſecundum Gal. in complexionibus. Sed pueri in alio excedunt, ſcilicet in humido, & imò nutrimentum facilius diſſeminabitur, & aſsimilatur, & vnitur propter paſsi obedientiam, ſcilicet totum contrarium eſt iuueni quod ratione ſicci pori ſunt magis denſi, & imò non poteſt fieri ita citò, nec ita perfectè aſsimilatio. Cum igitur digeſtiua vrgeat per calidum & humidum, & ſola ætas pueris ſit calida & humida, imò hæc ſola ætas eſt magis temperata pueritiæ, & ita intendebat Galenus. Si autem loquimur de perfectione operationum virtutum animalium, ſic ætas iuuentutis eſt perfectior, vnde ſunt meliores & velocioris motus, quoniam nerui ſunt ſicciores, vnde Galenus in de morbo. Quoniam nerui quantò ſunt ſicciores, tantò meliores ad motum, niſi eſſent ita ſicci, quod frangerentur, & imò quantum ad hanc virtutem dixit Auicenna, quod erant magis temperati, & ita patet, quomodo diuerſimodè loquebatur Galenus & Auicenna.

Ad pri-

Ad primum argumentum dico, quod illa hebetatio caloris & exceſſus humidi, non nocent operationi naturali, quod calor eſt æqualis in radice, ſed nocent operationi motiuæ propter humidum quod excedit. Ad ſecundum dico, quod melius ſicca ratione ſimilitudinis immutantur, ſed pueris melius ratione complexionis & ſimilitudinis, & plus etiam accipiunt de nutrimento propter augmentum, & imò non læduntur ex multo cibo, virtus autem animalis intellectiua eſt melior in iuuene propter liberum diſcurſum ſpiritus, ratione ſiccitatis. Puer ergo eſt magis temperatus, quantum ad virtutem naturalem, ſed iuuenis quantum ad virtutem animalem, &c.

X X V.

Vtrum minutiſsime trita prouocent ſeceſſum?

Et videtur quod ſic, Quoniam quanto res magis mordificabit & commouebit feces, tantò fluxus ventris erit maior, ſicut patet de cholera, cum venit ad inteſtina, ſiue ſecundum naturam, ſiue præter naturam, quoniam ratione ſubtilitatis & mordicationis prouocat virtutem expulſiuam inteſtinorum. Nunc autem ſubtiliſsimè trita acquirunt penetrationem & mordicationem, quare videntur, quod talia magis prouocabunt feces quam ſi eſſent groſsiſsime cõtrita. Oppoſ. dicit Gal. in partic. de reg. ſanit. Dico quod aliqua ſunt, vt piper & aniſum,

anisum, cyminum, & similia, quod si puluerizentur subtiliter, ꝓuocabunt vrinam, & si grosso modo prouocabunt secessum. Cuius ratio est, quoniam talia sunt mordicantia, vt dictum est, & de facili penetrabilia, & ob hoc etiam attractibilia, ꝓpter subtilitatem quam acquisiuerũt. Cũ ergo descendunt ad ieiunum & duodenum, cum ibi sint venæ Mesaraicæ mordicant & aperiunt, & ita penetrant & attrahũtur, ita de facili ab epate & venis Mesaraicis propter subtilitatem suam, & imò videmus omnia diuretica prouocare vrinam, sicut est vinum album, & brodium cicerũ, & decoctio petrosel. & imò non competunt in ventre constipato, quoniam magis constipant. Grositer autẽ confracta habent virtutem mordicandi, cum non posint penetrare per venas Mesaraicas, cũ sint grositer confracta, & venæ sint strictæ, & imò natura pellit cum fecib. ad inferiora, & quã diu morantur cum fecib. imò excitant virtutem expulsiuam intestinorum, & ita prouocant secessum. Nec valet de cholera, quoniam venit ab epate. Et cũ arguitur, dico, quod mordicant & sunt subtilia, ideo prouocant vrinam, sed subtilia in actione, grossa in substantia, prouocant secessum. Nec valet de cholera, quod venit ab epate versus intestina, istud autẽ mittitur à stomacho versus ipsum epar, &c. Et etiam si mitteretur à stomacho cholera versus intestina prouocaret vrinam, quod ratione suarum malarum qualitatum, nõ esset attractibilis ab epate & venis Mesaraicis. Piper autẽ & allia ha-

bent aliquam virtutem nutritiuam,& ideo attra hunt,vel nutritiuis ſunt admiſta. Intelligẽdum hic ſecundũ intentionem Gal. 1. partic. de reg. ſanit. quoniam quando crudi humores ſunt in ſtomacho, aut circa primas venas, electuaria,& ſimilia calida multũ nõ debent dari poſt cibum, quod talia calida faciunt cibum crudum penetrare ad membra, nec etiam ante cibum compe tunt excellenter calida, quoniã etiam illam cruditatem quæ eſt ſine cibo faciunt penetrare ad membra. Et imò eligebat Gal. diatrion pipereon ſimpliciter in cruditate, igitur dẽtur calida ante cibum, ſed in parua quantitate, detur ergo diatrion pipereon ante cibum & diacydonium pòſt in parua quantitate.

X X V I.

Vtrum ſanguine pauco bono exiſtente humoribus crudis multis competat phlebotomia?

Et videtur quod ſic. Phlebotomia ſecũdum Auicen. eſt euacuatio vniuerſalis,quæ multitudinem humorum euacuat,ſed hic ſunt humores multi,quare competit phlebotomia. 2.in exercitantib. ad ſummum &c. Hipp.loquitur in repletis & crapulatis in vlt. vt dicit Gal. quod nullo modo poſſunt iſta bene euadere ſicut cum phlebotomia, & cũ tales repleti & crapulati,nõ poſſunt eſſe ſine cruditate humorum, & vbi eſt cru ditas ibi eſt modicum de ſanguine bono, quare relinquitur,quod in ſanguine pauco & bono,& crudis humorib. multis competat phlebotomia.

Tertio

Tertio ponamus peripneumoniam vel pleuresin de phlegmate ex crapula & cruditate, hic sanguis est paucus bonus ratione febris,& abūdantia phlegmatis,& humores crudi multi, & tamē nullus negaret phlebotomiam,quoniá si sic,citò suffocatur. Quarto, si dicatur, quod in tali non competat phlebotomia,quoniam sanguis bonus exiret & malus remaneret. Cōtra hoc natura sagax est, cuius sagacitatis nō est finis in regimine animalis,& si sic retinebit bonū & dimittet abire malum. Quinto, in de simpl. med. dicit Gal. vers. fin. quod in superflua euacuatiōe humorū natura vlt. euacuat sanguinem,natura igitur ex sui industria vlt. retinet sang. non ergo exibit bonus & remanebit malus, imò contra &c. Oppos. dicit Gal 3.partic.de reg.san. Dico quod in tali casu non competit phlebotomia. Cuius ratio est, quoniam phlebotomia non competit nisi in duob.casib.aut quoniá solus sanguis dominatur aut omnes humores,sicut scribit Gal.expresse in fin.commēt. super illo Aph. Dolores oculorum. Et vers. princ. commen. In pharmacis talia &c. & sup. illo Aph. Quibuscunq; phlebotomia aut pharmacia &c. Sed hic non dominatur sanguis imò paruificatur,nec omnes humores, quod nō dominantur nisi crudi , & cum hoc etiam alij à sanguine, quare in isto casu iuxta regulas Gal. non competit phlebotomia.Itē dato quod competit,nō potest fieri, quoniam isti humores crudi sunt grossi & viscosi,& dato quod foramen esset magnum, nō possent exire propter grossitatem,

[*& viscositatem*] Si ergo fuerit sang. paucus bonus, tunc ratiōe subtilitatis citius exibit, & quanto foramē erit maius tanto facilius, imò quasi sola euaporatio sufficeret. Quod autem ita sit hoc patet, quoniam in febrib. putridis cholericis, ibi non est ista grossities, si foramen fiat strictū exibit sang. subtilis, rubicundus. Si autē immediatè fiat foramen mag. exibit sang. corruptus. Patet ergo, quod sang. clarus & purus primò exibit, & imò cum secundatur phlebotomia non debet fieri cum percussiōe pollicis, sicut dictū est in 1. lib. Item fiet vnum magnum nocumētum, si fiat phlebotomia in tali casu, quod summè præcipit Gal. euitare, .s. quod crudus humor trahitur à paruis venis ad magnas venas. Et si fuerit in magnis, trahitur ad membra, hoc autē est summum & vlt. nocumentum, quod membra nutriantur ex humorib. crudis, & imò non competit, imò etiam non competunt minora secund. Gal. quia nec exercitium, nec balneū, nec coitus, sed abstinentia & ocium, & somnus longus, & fricatio valde leuis ad euaporādum tamen, & postea cōfortantia stomachi temperamentum, sicut est diacydonium. Et tamen ad 1. dico, quod multitudo est duplex, secun. Gal. in de crisi, quædam quæ facit abundantiam, & ista potest fieri ex solo vno humore, & quædam quæ facit plenitudinem, & ista nō fit nisi ex omnib. Cum ergo dicit Auicen. quod phlebotomia euacuat multitudinem, verum est quę multitudo propriè facit plenitudinem, non multitudinem quæ facit abundantiam.

dantiam. Ad 2. dico, quod poſsibile eſt eſſe repletum in vltimo ſine crudis humorib. ſi repletio eſſet ex longo tempore, & quidam ſunt qui habẽt venas ſtrictas, qui licet modicum accipiát de cibo, quod etiã bene digeratur in ſtomacho & epate, nihilominus terribiliter impingatur. Vel poſſem dicere, quod tanta eſt facta rarificatio, ratione laborum, quod niſi ſubitò euacuetur, ſuffocaretur. Nihil autem ita ſubitò euacuat ſicut phlebotomia, licet ergo nõ competit de ſe, competit tamen propter timorem ſuffocationis. Similiter dicitur de pleureſi, & de peripneumonia, ſi in tali caſu accideret. Ad aliud dico, quod natura eſt ſagax, quod non nimis impediretur, ſed hoc impedimentum nimis magnum & nobile, ſicut eſt apertura venæ quam non poteſt claudere. Sanguis autem eſt ſubtilis, & imò de facili egreditur. Ad vlt. dico, quod non eſt ſimile, quoniam ibi eſt magna apertio, ſed in pharmacia non, imò vadit à venis magnis ad anguſtas, quæ ſunt in gibbo epatis, deinde ad anguſtiores, ſicut ſunt venæ meſaraicæ, & ita bene poteſt vltimò retinere. Expellitur ergo quod magis abundat, aut quod minus indiget, aut quod magis eſt eliquabile, &c.

XXVII.

Quæ mala complexio ſit magis morboſa, an mala complexio diuerſa in toto corpore, an mala diuerſa in parte?

Et videtur, quod mala complexio diuerſa in

toto ſit magis morboſa,cum ſit deterior. Et arguit ſic. Illud malum, quod occupat plures partes,erit deterius & magis morboſum , quã quod minores partes occupat: Sed cùm mala complexio eſt in toto corpore , plures partes occupat , quare mala complexio,diuerſa in toto corpore,erit deterior. Maior eſt manifeſta,quoniam malum , poſtquam de ſe eſt malum , quanto maius tanto deterius : ſicut videmus de albedine,quoniam quanto plus occupat de ſuperficie, tanto magis diſgregat : ſic igitur de mala complexione , quod quanto plures partes occupat, tanto deterius. Minor eſt multum manifeſta, quare concluſio erit vera. Præterea illa mala complexio,quæ omnino membra principalia & radicalia,& mineras omnes virtutum occupat, illa erit deterior,quam illa,quæ non occupat niſi vnum membrum principale tãtum : ſed illa quæ eſt in toto eſt huiuſmodi,quare. Maior eſt manifeſta,quoniam omnis mala complexio ſuæ vir tuti defectionem generat, ſecundum Gal. 6. de morbo verſ. princ. Tunc igitur mala complexio in membris principalib. erit cauſſa debilitatis virtutis : tunc igitur in radice magis erit debilis, niſi omnia membra principalia ſint læſa, quam ibi vnum tantũ. Sed inter omnia illud quod magis facit ad morboſitatem, eſt virtutis debilitas, ſed in illo, qui lapſus eſt in toto , eſt magis debilis virtus in mineris,quare talis erit magis mor boſus. Tertio,qui eſt lapſus in vna parte,& omnes aliæ partes ſunt temperatæ,non videtur eſſe morbo-

morbosus, quoniam lapsus corrigitur ab omnib. alijs partib. seu membris sanis, & hoc videtur de intentione Gal. in reg. cum loquitur de membrorum cõtraria operatione principalium, vnde cum cerebrum sit multum frigidum, & cor excedat temperamentum in gradu opposito, nõ infrigidatur corpus propter cerebrum, quoniam caliditas cordis contra operatur. Tunc arguo, illa complexio lapsa, quæ habet multa adiuuantia & contra operantia, non erit ita morbosa, sicut illa, quę nõ habet aliquid sibi coadiuuans: & lapsus, qui est in parte, habet multa coadiuuantia: sed qui in toto, nihil habet coadiuuans, quare relinquitur, quod mala complexio, diuersa in toto, erit magis morbosa & lapsa in parte, minus, imò nihil morbosa, cùm tot habeat bona adiutoria. Item quartò, ille lapsus, qui magis approximatur ad malam complexionem æqualem [*victam*] dictam est deterior, cùm mala complexio dicta [*victa*] sit ineuocabilis, sicut patet in hectica: sed lapsus in toto est huiusmodi, postquam omnes partes alteratæ sunt, videtur quod approximetur ad malam complexionem æqualem victam. Alia autẽ quæ est in parte, multum elongata est, quoniam antequam veniret, oportet quod transiret per illam dispositionem, in qua est mala complexio in toto. Quare relinquitur, quod mala complexio in toto sit deterior, & magis morbosa, quæ tardius reducitur: hæc autem est mala complexio in toto, quoniam difficilius est reducere multa, quàm vnũ,

quare,&c. Item Gal.ſcribit 3. partic. de reg.ſanitat. verſus princ. cum loquitur de mala complexione in toto, Dicit, quod mala complexio ſicca eſt peſsima, aut nō poteſt eſſe peius, quare videtur autoritate Gal. quod lapſus in toto ſit peior,quam quod de ſiccitate partis,niſi dicetur hoc de ſiccitate totius, quare ſatis videtur autoritate expreſſa per illa verba, quod mala complexio in toto ſit deterior & magis morboſa,quá in parte. Oppoſ. huius poteſt declarari per ſenſum,qui eſt dignior omni ratione, quoniam experientia facit artem,& experientia facit caſum, ſicut ſcribitur in prooemio Metaphyſ. videmus enim quod illi qui habent pedes debiles naturaliter,citius incurrunt podagram, quàm conualeſcentes & ſenes, qui erunt debiliores in toto. Similiter ſanguineus de complexione, ſi habeat epar calidū & lapſum, citius infirmabitur quàm melancholicus, qui eſt debilis & lapſus in toto. Videmus etiam, quod aliqui habent caput debile,licet alię partes corporis nō ſint lapſæ,quod citius incurrunt rheuma, & tuſsim, & ſimilia, quàm aliquis alter debilior, licet lapſus in toto corpore., & imò videmus homines abiectos & debiles eſſe ſanatiuos, & multos fortes & viriles cum habeant aliquam partem debilem, eſſe quotidie quaſi morboſos. Senſui igitur eſt credendum, quod illi, qui habent malam complexionem in parte,ſunt magis morboſi, quàm illi qui habent in toto. Item autoritas videtur expreſſa, Gal. 3. partic. de regim. ſanit. loquens de mala

complexi-

complexione anomala. .i. inæquali, in parte, & dicit,quod talis mala complexio omnino eſt morboſa. Si ergo eſt omnino morboſa,nulla alia poſſet eſſe morboſa,quare relinquitur autoritas Galeni tāti principis,quod mala complexio in parte ſit morboſa magis. Circa iſtam materiam tria ſunt conſideranda. Primum eſt tale: Cum .n. quæritur de lapſu totius & partis, tunc omnia debent ad inuicem eſſe proportionabilia, quantum eſt poſsibile. Si ergo lapſus totius ſit per vnum gradum in toto: & lapſus partis debet eſſe per vnum gradum,& cum hoc econtrario ætas, regio,conſuetudo & regimen debent eſſe æqualia. Ita quod ſi non ſit differentia,quoniam erit poſsibile, niſi quod iſte lapſus eſt in toto, & iſte in parte. Et cum hoc quando non quæritur de lapſu in complexione aut in compoſitione, ſed de lapſu complexionis ſine materia. Et cum hoc lapſus non faciat ægritudinem actualem,ſed eſt complexio lapſa à corpore optimo, nihilominus tamen continetur ſub latitudine ſanitatis, ſicut eſt cholericus & melancholicus, & ita de alijs & viuit ſanus ſicut alij cōmuniter viuunt. Et tunc quomodo ſit limitata, quærit quis iſtorum duorum, ſi contingeret eos errare in regimine, quis citius infirmaretur. Secundo eſt notandū,quod membrum cum incurrit aliquod nociuum, à ſe expellit illud ſuperfluum, & ſi ſecundum membrum fuerit forte expellit illud à ſe, & ita de alijs,& ita oportet,quod finaliter veniat vſque ad membrum debile, quod nō poſsit à ſe expellere,

& ibi remaneret, & propter hoc dicitur secundo de morbo, quod fortia mittunt ad debilia, non quod mittat ex intentione, quòd tunc haberet intellectum & rationem. Sed quodlibet cum potest à se expellit, & ꝓpter hoc dicit Gal. quod cutis facta est debilis, vt omnes superfluitates corporis reciperet, quoniam melius est, quod materia quam recipit, sit extra in cute, quàm si esset intus. Tertiò intelligendum, quod vna malicia excedit aliam, aliquando extensiuè, aliquando intensiuè. Et aliquando ægritudines generantur per viam congestionis, [*& aliquando per viam deriuationis*] & cum hoc ægritudines dicuntur peiores, quod tardius curantur, & aliquando facilius, & hoc cum dyscrasia membri particularis. Aliquando iuuatur à membro vicino sano saltem quantum ad impressionem, & aliquando magis læditur. Primum ergo nobile seruit, vt quæstio limitetur. Secunda seruit vt caussa habeatur, Tertia vt obiectionibus obuietur. Hoc viso respondeo ad quæstionem & simpliciter loquendo, omnib. consideratis, quæ dicta sunt, quod complexio lapsa in parte est magis morbosa, quam lapsa in toto omnibus alijs partib. existentib. Et caussa est data in secunda positione, quoniam illud, quod summè generat morbum, est aggregatio materiæ in locum vnũ, nunc autem ita est, quod mala complexio partis aggregat suum superfluum, & alienum: virtus [*enim est*] debilis de se, & ita si fiat error in regimine aggregabit, & cum hoc fortia miscent se,

& ita

& ita habebit & à ſe & à toto. Quando autem dyſcraſia eſt in toto, nullum membrum habet plus de ſuperfluo quàm aliud, & ita ſaltem non erit acrius [*aceruus*] quod erat potiſsima cauſſa generatiua, cum hæc materia diſpoſita [*diſperſa*] facilius corrigetur à membro, quàm ſi eſſet congregata, & hoc eſt multum liquidius. Ponamus aliquod corpus plethoricum, & quod quieſcat, non eſt dubium, quod multa habet ſuperflua in toto corpore, & tamen poſsibile eſt, quod ſtet longo tempore ſine ægritudine actuali, licet habeat materiam. Sed ponamus, quod nimis exercitet ſe, vel balneetur in aqua calida, vnde in tali generabitur feb. vel apoſtemata, & hoc eſt quod materia diſſoluitur & commouetur, & in vno loco aggregatur. Patet ergo, quod congregatio ſuperfluitatum eſt potiſsima cauſſa ægritud. in parte autem debili fit maior aggregatio, quare citius infirmabitur, & per hunc modum generantur, vt plurimum omnia apoſtemata, & iſta fuit intentio Gal. ſicut dictum eſt. Et ꝑpter hoc dicebat Gal. quod talis complexio mala eſt omnino morboſa, & veritas huius declaratur ab eo per exempla ſua, quod patet de capite, quoniam qui habet caput frigidum, incurrit rheuma, & ita de epate, quod eſt dyſcraſia, incurrit cacochymiam, & ſic de alijs, quæ longum eſſet narrare, ſed iſta ſufficiant cauſſa breuitatis, & per iſta poſſumus euadere ad rationes factas in oppoſit. Et tunc ad primum dico, quod lapſus vnius occupat plura loca, & ita in ſe erit peior,

quan-

quantum ad extensionem, .s. non quantum ad intensionem, quoniam ratione maioris aggregationis in vna parte, dyscrasia erit magis morbosa, quoniam habet superfluitatem suam & aliorum, vnde quilibet lapsus possit stare sine morbo actuali, dum tamen bene regeretur. Et pro tanto quærit Gal. vnde hoc est, quod iste qui est lapsus, modo infirmetur, & modo non, Dico, quod hoc est cum dicit Gal. quoniam modò est boni regiminis, modò non. Cùm ergo sit lapsus in toto & lapsus in parte, æqualiter peccent in regimine, tunc ille qui est lapsus æqualiter in toto, habebit superfluitates per viam congestiõis in toto, scilicet per viam deriuationis modicum aut nihil, quod ita est debile vnum, sicut aliud, postquam lapsus est æqualis, & ita non aggregabit aceruum, & quod materia dispersa citius corrigitur in multis quam in vno, imò licet materia maior sit per comparationem ad totum, nihilominus non erit ibi morbus, quoniam corrigitur, quoniam comparando superfluum cuiuslibet partis ad quamlibet partem, modicum est. Sed lapsus in parte habet suum superfluum, & cum hoc totius, & ideo citò infirmabitur ratione multitudinis, quæ ab vno corrigi non potest, & imò videmus communiter multos debiles sanatiuos esse. Patet igitur, quod lapsus totius sit peior extensiuè, lapsus tamen partis est peior intensiuè propter caussas dictas. Ad 2. respondeo similiter, quoniam licet lapsus sit in plurib. membris principalib. & ita in radice sit peius, nihilominus

minus

minus cùm ſit error in regimine, [*per accidēs*] ſic citius infirmabitur ille qui eſt lapſus in vno mēbro principali tantum. Et imò videmus, quod qui habet caput debile, & omnia alia membra ſana, ſi bene regatur non infirmabitur: ſed ſi ſit error ſtatim omnia membra mittunt ſua ſuperflua ad caput, tanquam ad caminum, & iterum mittit caput ſua ſuperflua ad membra ſubiecta, & ita continuatur morboſitas. Virtus ergo eſt debilior extenſiuè ſcilicet non intenſiuè, quantum ad morboſitatem, & hoc eſt per accidens propter cauſſam dictam. Ad 3. dico, quod membra ſana impediunt effectum membri lapſi, licet non corrigat in radice per comparationem cum ad effectum alterationis in toto bene corrigitur, & hoc eſt cum ſunt in bono regimine. Sed ponamus, quod error aduenìat tunc, ſicut membra ſana & fortia erant ad ſaluationem membri lapſi in parte, ex hoc quod effectum alterius impediebant, & humores etiam contrarios generabant, ſcilicet nunc cum ſunt præter naturam iſta membra ſana & fortia, facta ſunt in ruinam & deſtructionem membri debilis; tunc nunquam de facto faciunt ſentinam, cum ad locum ſuperiorem ſuperflua cuncta ferātur ſecundum Gal. Ad 4. dico, quod cum ſupponit, quod lapſus diſtet æqualiter à temperamento, & quod mala complexio in parte iſta poteſt approximari ad æqualem [*metam*] vitam, ſicut patet in paralyſi particulari, imò dico iuxta poſitionem, quod tantum appropinquat lapſus partis ad malam com-

plexio-

plexionem æqualem victam, ſicut lapſus totius, & ita non concludit, quoniã ita poteſt vinci complexio naturalis partis, ſicut etiam totius & fortè citius. Ad 5. dico, quod citius reducitur lapſus totius æqualis diuerſus tamen, pro tanto diuerſus, quoniam complexio naturalis nondum eſt victa, nec facta ſimilis tranſmutanti, ſed eſt æqualis pro tanto, quod totũ corpus æqualiter eſt lapſum aut in caliditate aut in frigiditate, & ita de alijs, & tunc dico, quod talis lapſus citius reducitur, quoniam quod valet vni, valet etiam alteri. Nunc autẽ ſi fuerit lapſus in parte, & ſi medicamẽ competat illi dyſcraſię, nihilominus membra vicina ſana læduntur, & ita medicamen ſemper infert nocumẽtum, & ita omnis mala complexio in vna parte mala eſt ad reducẽdum, & ſi fuerit in duab. deterius, ſicut in ſtomacho frigido & epate calido, quoniam vnum non iuuat alterũ, & quod confert vni, nocet alteri, & ecõtrario. Et ſi concederetur, nunc tamẽ non concludit, quoniam malicia morboſitatis & ruinæ facilioris non prouenit ſolùm ꝓpter lapſum partis, ſed per accidens eſt, & ꝓpter ſuperflua, quæ mittuntur. Et tunc ad vlt. dico, quod ibi comparat lapſum ad ætatem, vnde licet mala complexio [*ſicca*] ſit in toto peſsima in iuuene ꝓ tanto, quod ſicut dicit Gal. Iuuenis habet in princ. quod ſenex in fine, & ita fit peſsima, quoniam ad morboſitatẽ quantum licet parum iuuat, nihilominus poteſt eſſe ſanatiuus, & quod in tali ſicco nõ ſunt ſuperflua, & quod ſentit ſe debilem, & non exponit ſe periculis,

riculis,

riculis, & ita cùm ſit [*melioris*] boni regiminis, erit ſanatiuus, non tamē diu viuere poterit, quod iam in principio humidum radicale eſt exuſtum [*exhauſtum*] & ita per comparationem ad longæuitatem complexio ſicca in principio peſsima eſt, vnde poſsibile eſt quod morboſus ſit longæ vitæ, qui multum habet de humido radicali. Et pro tanto dicit Gal. in de reg. ſanit. Quod complexio humidiſs. eſt longæuiſs. Et ſcribit Ariſtoteles verſus princ. lib. ſui, de longitudine & breuitate vitæ, & dicit ſecundum quoſdam, nihil enim prohibet languoroſos eſſe longæ vitæ. Sed animaduertendum, quod qui bene viuit, bene moritur, imò non moritur. Paremus nos igitur ad bene viuendum, & ita mors erit bona, quoniam mors impiorum peſsima, bene autem mori via eſt in vitam æternam, ad quam nos perducat CHRISTVS filius Dei viui, ſedens ad dexteram patris, quem inde venturum ad iudicandum viuos & mortuos, expectamus, & qui eſt benedictus DEVS,
AMEN.

LIPSIÆ

Imprimebat Iohannes Rhamba menſe Februario, curante Erneſto Vogelin Anno 1570.

Cartonage